DE

DIFFERENTIA NEXVS RERVM SAPIENTIS ET FATALIS NECESSITATIS,

NEC NON

SYSTEMATIS HARMONIAE PRÆSTABILITÆ ET HYPOTHESIVM SPINOSAE

LVCVLENTA COMMENTATIO,

IN QVA SIMVL

GENVINA DEI EXISTENTIAM DEMONSTRANDI RATIO EXPENDITVR

ET

MVLTA RELIGIONIS NATVRALIS CAPITA ILLVSTRANTVR.

AVTORE

CHRISTIANO WOLFIO,

POT. REG. SVECORVM, HASSIAE LANDGRAVII, CONSILIARIO REGIMINIS, MATHEMATVM ET PHILOS. PROF. PRIMARIO IN ACADEMIA MARBVRGENSI, PROFESS. PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIAE REGIAE SCIENT. PARIS. ATQVE SOCIET. REG. BRIT. ET BOR. MEMBRO.

EDITIO SECVNDA.

HALAE MAGDEB. MDCCXXXVII.

PROSTAT IN OFFICINA RENGERIANA.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

VIRIS

SVMME REVERENDIS, EXCELLENTISSIMIS,
NOBILISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS

DN. DANIELI ERNESTO JABLONSKY,

S.S THEOL. D. CONCIONATORI AVLICO PRIMARIO, CONSISTORII CONSILIARIO, SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIARVM PRO-PRÆSIDI, ECCLESIARVM EVANGELICO-REFORMATARVM PER POLONIAM SENIORI

DN. HENRICO AVGVSTO Steinberg,

CONCIONATORI AVLICO ET DIRECTORII ECCLESIASTICI EVANGELICO-REFORMATI CONSILIARIO.

Digitized by Google

DN. ERNESTO ANDREÆ,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI ET CONCIONATORI AVLICO.

DN. JOANNI ARNOLDO NOLTENIO,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI ET CONCIONATORI AVLICO.

DN. JOANNI WARENDORFFIO,

CONCIONATORI AVLICO.

PATRONIS ET FAVTORIBVS

OMNI OBSERVANTIÆ CVLTV

VENERANDIS.

VIRI SVMME ET MAXIME REVERENDI.

Tſi omnia in univerſum dogmata metaphyſica ſubtilitate, ſublimitate, profunditate cetera vincant, ut ad ea evolvenda & e tenebris in apricum producenda opus ſit acumine ac ingenio, ad rationis trutinam ſumma accuratione ſingula exigere nato: inter ea tamen in Metaphyſica generali eminet doctrina de neceſſario & contingente, quam maxima ingenia magis intricantes, quam extricantes, cum notiones communes rationi conciliare non poſſent, in fatalem rerum neceſſitatem prolapſi ſunt; in ſpeciali autem commercium inter mentem & corpus caput altum extollit, nodus Gordius philoſophis viſum, quorum

rum acutiſſimi eum non ſolventes, ſed ſecantes eo tandem audaciæ progreſſi ſunt, ut alterutrius ſubſtantiæ exiſtentiam negantes, alii idealiſmum, alii materialismum defenderent. Equidem non probo vanas & injuſtas illorum vociferationes, qui ex quovis errore in metaphyſicis admiſſo atheiſmi quoddam crimen exſculpunt, immo, ut exſculpere poſſint, veritatem in errorem vertunt, ne deſit, contra quod dictatoria quadam autoritate declament; operam tamen dandam eſſe exiſtimo, ut veritati ſuus conſtet honos, & ne ex errore periculum immineat incautis. Ea igitur fini in meditationibus meis metaphyſicis difficillimam quoque de contingente & neceſſario, itemque de commercio inter mentem & corpus doctrinam enodavi, uſus inter alia luminibus viri etiam poſt fata ſummi LEIBNITII, quæ in præclaro Theodicææ opere his argumentis affudit. Neque enim Cel. FONTENELLIVM (a) a vero aberrare, quando hunc rei literariæ heroem Theologum in ſenſu ſtrictiori appellat, qui in lectione Patrum & Scholaſticorum multum verſatus diſſenſum in Theologia intimius perſpexerit, vobis, Viri ſumme & maxime Reverendi, abunde conſtat, quos minime fugit, ob rerum theologicarum intimiorem peritiam & animum in judican-

(a) Hiſtor. de l'Acad. Roy. des Scien. A. 1716. p. 145. edit. Bat.

dicando ab omni adfectuum impetu liberrimum, a Monarcha quodam potentisſimo, dignum habitum fuiſſe LEIBNITIVM, qui in condendo corpore doctrinæ ad Proteſtantes inter ſe conciliandos ſocias operas præſtaret, commendatione dubio procul Theologorum, quos doctrina & virtus commendabat. Quamvis adeo arma attulerim, quibus opinionum in metaphyſicis monſtra debellari datur magno in Theologiam chriſtianam emolumento, id quod etiam agnoverunt viri Theologi trium in imperio ſtabilitarum religionum, ne Pontificiis quidem exceptis; hoc tamen non obſtante, poſtquam altera operis editio fere conſenuit, ſparſi ſunt rumores magna temeritate nec improbitate minori publice diſſeminati, quaſi dogmata mea metaphyſica de Deo, anima & mundo ex SPINOSA hauſta ſint, & religioni cum naturali, tum chriſtianæ, omni etiam morali ac civili doctrinæ interitum minentur. Equidem hæc nulla veri ſpecie affirmantur, nec ullum famæ periculum metuo ex accuſatione, quæ nimis manifeſta mali in me animi indicia prodit; attamen ne inde in academiam, in qua doctor publicus cum applauſu profiteor, quæ titulis adeo odioſis onerantur, aliquod redundet detrimentum, malevolis in rem ſuam abutentibus accuſa-

cuſatione injuſta, clamores iſtos quam primum retundi fas fuit. In præſenti igitur commentatione clariſſime monſtravi, me communes Theologorum notiones adverſus SPINOSAM ſtabilire, recepta dogmata demonſtrativa quadam ratione deducta erroribus ejus opponere, nec minima veri ſpecie invito imputari conſequentias, quibus anthropomorphiſtæ magnitudinem Dei extollentibus infenſi delectantur. Vobis autem, Antiſtites Venerandi, commentationem iſtam offero, tum quod acumine polleatis ad has controverſias dijudicandas, tum quod candore prædiți non imputetis autoribus conſequentias, quas & ipſimet deteſtantur, & ex ſuis dogmatis non fluere oſtendunt, tum quod vera in Deum pietate uſi deteſtemini illorum artes, qui hæreſeos reos agunt, ut ſibi quodvis in eos licere argutari queant, tum quod propria experientia edocti noveritis illorum genium, qui conſequentias horridas ex proprio ingenio effictas cumulant, ut ab anthropomorphiſmo alienorum ſententias imperitis execrabiles ſiſtant. Accipite igitur, quod vobis offero, munus literarium ſerena fronte, Viri de eccleſia Chriſti & orbe literario meritiſſimi, meque favore veſtro dignamini. Dabam in Academia Fridericiana die X. Auguſti A. O. R. MDCCXXIII.

)o(

DE DIFFERENTIA NEXVS RERVM SAPIENTIS ET FATALIS NECESSITATIS, NEC NON SYSTEMATIS HARMONIÆ PRÆSTABILITÆ ET HYPOTHESIVM SPINOSÆ, LVCVLENTA COMMENTATIO.

SECTIO I.

DIFFERENTIAM NEXVS RERVM SAPIENTIS ET FATALIS NECESSITATIS LVCVLENTER EXPONIT.

§. I.

Vamprimum animum, tyrociniis depositis ad ſtudendum appuli, ſententiarum in Philoſophia & Theologia divortia magnopere diſplicuerunt. Nec multum aberam a ſtudiorum faſtidio, quibus ab utero devotus fueram, niſi mature monitus fuiſſem, veterum Geometrarum *Euclidis*, *Archimedis*, *Apollonii*, *Theodoſii* dogmata extra omnem controverſiæ aleam poſita eſſe, nec in aliorum Mathematicorum ſcriptis abeſſe veritates, quæ ſumma evidentia adſenſum vel invito extor- *Meta ſtudiorum Autoris.*

queant, quamprimum intelliguntur. Spem igitur concipiebam haud exiguam fore, ut evidentiæ rationes mihi innotescerent, si Mathematicorum demonstrationes sollicitius rimarer atque inde a specie ad genus argumentaturus generales demonstrandi regulas abstraherem. Cumque insuper intelligerem, habere Mathematicos Artem inveniendi veritates ad forum suum spectantes, quæ *Algebræ* nomine celebretur, me inde generalia inveniendi artificia abstracturum confidebam. Atque his rationibus permotus magno Matheseos & Algebræ inprimis addiscendæ desiderio flagrabam & in Academiam profectus, ut idem explerem, omnem lapidem movebam. Nec incassum cecidit labor: etenim in methodo cognoscenda mire proficiebam & mox luce inexpectata colluſtratus clarissime perspiciebam, unde omnis in disciplinis confusio ortum trahat. Animadvertebam enim, deesse notiones distinctas, deesse demonstrationes, deesse ordinem, quo veritates concatenato nexu copulantur. His igitur malis medelam allaturus mihi proposui ad majorem certitudinis gradum evehere disciplinas philosophicas, Theologiam inprimis naturalem & Philosophiam practicam, ut non haberent homines profani, quod contra religionem naturalem ac veram morum honestatem objicerent.

§. II.

Quid in Metaphysicis præstiterit.

Hunc ut adsequerer scopum, attuli animum ad laborem sane arduum ab omni affectuum impetu vacuum & veritatis solius cupidum, nihil pro certo assumens, nisi intime convictus, nec tanquam erroneum rejiciens, nisi manifestam cum principiis rationis contradictionem adsecutus. Religionis igitur naturalis fundamenta solida ac inconcussa positurus (quæ enim divinitus revelata fide amplectimur, ea rationis judicio non subsunt, sed ejus sphæram transcendunt), a primis notionibus ordiendum esse duxi. Atque hinc enatum est opus metaphysicum, quod de Deo, anima & mundo ac ente in universum publici juris feci, magno applausu ab eruditis exceptum, ut mox altera editione fuerit opus. In eo

eo enim notiones diſtinctas exhibui terminorum generalium, qui in Ontologia hactenus magna obſcuritate ſepulti fuerunt: diſtinctam tradidi mentis humanæ cognitionem & omnes ejus facultates a priori ex unico conceptu deduxi, quod antea nemo fuerat auſus: novam quandam diſciplinam condere cepi, quam *Coſmologiæ tranſcendentalis* nomine compellare ſoleo, in qua veritates maxime arduæ de univerſo materiali explicantur, ad mentis humanæ naturam intimius cognoſcendam, & de Deo ex lumine rationis accuratoria ratiocinia contexenda adprime utiles: theologiam denique naturalem methodo demonſtrativa concinnavi, ita ut ex definitione Numinis, in ſubſidium vocatis principiis in Ontologia, Pnevmatica, Coſmologia tranſcendentali ſtabilitis, concatenata ſerie attributa divina derivaverim. Dudum mihi cognitum atque perſpectum eſt, præſtantiſſimos Theologos trium in imperio ſtabilitarum religionum & inter hos quoque plurimum Reverendos Patres Societatis Jeſu principia mea ſana & doctrinis Theologorum conformia agnoſcere, qui nempe poteſtatem terminorum recte evolvunt & catenas ratiociniorum ſumma attentione perſequuntur: id quod ad Syſtema intelligendum neceſſarium eſſe, Theologus æquitatis non minus, quam variæ eruditionis laude celeberrimus *Chriſtophorus Matthias Pfaffius* (a) cum intelligentibus & cordatis judicat.

§. III.

In demonſtranda exiſtentia Dei uſus ſum argumento a contingentia hujus univerſi petito: unde apparet, cur in ejus gratiam tractationem de univerſo præmiſerim. A contingentia univerſi ad exiſtentiam Numinis argumentatus etiam fuit *D. Thomas*, quem eccleſia Romana *Doctoris Angelici* elogio ornant, & cum ipſo alii, quamvis non eadem evidentia, qua ego uſus fui. Quod enim argumentum hoc multo magis evolverim, *Notanda de argumento, quo Autor nititur ad Dei exiſtentiam* *tiam de monſtran-* *dum.*

(a) In Nota r ad Orationem de Egoiſmo p. 12. 13.

atque ad majorem certitudinis gradum evexerim, quam ab aliis hactenus factum, nemo negabit, qui meas meditationes metaphyſicas hac in parte cum aliorum ſcriptis contulerit. Ceterum *via contingentiæ* in demonſtranda Numinis exiſtentia adeo nota Philoſophis & Theologis, ut etiam compendiis Theologiæ naturalis ac revelatæ inſerta fuerit. Sane ex noſtratibus Summe Reverendus Abbas *Schmidius*, cum adhuc in Academia Jenenſi philoſophiam profiteretur, huic viæ inter argumenta, quibus exiſtentia Dei a poſteriori probatur, in Theologiæ naturalis compendio p. 44. locum fecit &, quod *D. Thomas* de eadem ſuo modo proponit, ex ipſius ſumma Theologiæ adducit. Inter Theologos eccleſiæ Romanæ R. D. *Ludovicus Carbo a Coſtaciario* in Compendio totius Summæ Theologiæ *D. Thomæ Aquinatis* part. 1. quæſt. 2. art. 3. n. 3. p. 4. idem argumentum urget. Et recentius *Johannes du Hamel*, Socius Sorbonicus & in Academia Pariſienſi Profeſſor in Philoſophia univerſali Tom. 3. p. 187. & 188. eidem argumentandi rationi ſuo modo inſiſtit. Enimvero quod ego argumentum, ab aliis obſcurius propoſitum nec ſufficienter extenſum, in majori luce conſtituerim & ultra limites, qui juſto arctiores præfigebantur, produxerim, ut novam prorſus formam induerit ac acumine opus ſit, quo agnoſcatur; id potiſſimum cauſæ ſubeſt, quod ad *principium rationis ſufficientis* ante *Leibnitium* non ſatis expenſum animum adverterim, atque methodi rationem diligentius habuerim. Vir acumine præſtans *Bülffingerus*, Philoſophus in Academia Tubingenſi clariſſimus, argumentum meo modo evolutum *vel ideo venerabile* vocat (b), *quod ſacri codicis autoritate approbatum eſt, quod rigorem demonſtrationis* PRÆ CETERIS *optime ſuſtinet, quod & attributis Dei cognoſcendis accommodum eſt, quod fœcundam corollariis etiam practicis Dei*

(b) In Commentatione de harmonia animi & corporis humani maxime præſtabilita ſect. 7 §. 255. p. 246. not. h.

Dei notitiam animo ingenerat. Erit forſan, qui mirabitur, quod argumentum a me propoſitum ſacri codicis autoritate approbatum dicatur. Atat intelligentibus in aprico poſita eſt ratio! Apoſtolus Rom. I. 20. ex verſione vulgata: *Inviſibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Quæ verba hac paraphraſi effert doctiſſimus *Hammondus* Tom. 2. novi fœderis f. 8. ex editione Cel. *Clerici* Amſtelodamenſi A. 1705. *quæ perſe ſub oculos non cadunt, infinita Numinis potentia ac divinitas, quæ ſemper a creatione mundi oculos fugerunt; ea tamen in varia ejus rerum humanarum adminiſtratione & mundi totius gubernatione tanquam in ſpeculo conſpecta jam manifeſto cernuntur.* Quicquid ſit, omnes in eo conſentiunt, virum divinitus afflatum his verbis affirmare: univerſum rerum materialium eſſe ſpeculum exiſtentiæ ac perfectionum divinarum, ita ut in ejus contemplatione occurrant, unde Numinis exiſtentiam & perfectiones arguere poſſis. Et hunc quoque ſenſum clariſſime fundit verſio B. *Lutheri* germanica. Enimvero quænam ſint illa, unde exiſtentia, unde ſapientia, unde omniſcientia, unde omnipotentia, unde bonitas, unde perfectiones ceteræ arguantur, ſpeciatim minime perſequitur Apoſtolus, nec modum arguendi diſtinctius exponit: neque enim diuina revelatione doceri opus erat, quæ recto rationis uſui ſubſunt. Quodſi igitur quidam fuerint, qui circa modum arguendi in diverſas abeunt ſententias, illi haud quaquam de veritate divinitus revelata, ſed de hypotheſibus philoſophicis inter ſe decertant. Cum ego aſſertum Apoſtoli divinum tanquam veritatem indubiam ſemper amplexus fuerim, a diverſis tamen exiſtentiæ divinæ a poſteriori petitis oſtenſionibus, ut par eſt, diſtinxerim; in his, quæ rationi dijudicanda ab ipſis ſcriptoribus ſacris relinquuntur, in aliorum autoritate acquieſcere recuſans proprio Marte inquirendum eſſe duxi, quale Speculum perfectionum divinarum exhibeat univerſum.

Atque cum in finem instituí contemplationem universi generalem, quam *Cosmologiam metaphysicam* seu *transcendentalem* appellare soleo atque in meditationibus metaphysicis c. 4. quantum instituti ratio postulat, exposui, pluribus in alium locum aliudve tempus reservatis (c). Deprehendi autem universum hoc esse speculum existentiæ divinæ vi contingentiæ suæ cum in corporum actu, tum in legibus naturæ motus obviæ, unde rerum eventus pendent. Idem esse speculum infinitæ scientiæ Numinis vi nexus rerum & harmoniæ universalis: esse speculum sapientiæ divinæ vi finium rebus naturalibus præstitutorum & eorundem nexus a necessitate absoluta & fatali liberi: esse speculum potentiæ vi contingentiæ & actus ad eam relati & ita porro. Quæ singula alibi a me distinctius demonstrantur (d). Atque hæc est ratio, cur a contingentia ad Dei existentiam argumenter, non a nexu rerum & harmonia qua tali, non a finibus, non ab ordine &, si quæ alia in contemplatione universi generalia occurrunt, quorum ratio in attributis divinis tanquam primis possibilibus terminatur. Pervidit hæc utique acutissimus *Bülffingerus*, etsi me tantum Doctore in Matheſi usus fuerit, ac ideo non ex præcipitantia, sed cum ratione argumentum a me pro existentia Dei allatum sacri codicis autoritate approbatum pronunciat. Hujus enim autoritate, ut modo vidimus, constat, universum esse speculum perfectionum divinarum & intuendo hoc speculum in Numinis cognitionem nos penetrare debere. Sed ego eam animo concepi universi ideam & existenti conformem probavi in meditationibus meis metaphysicis, ut inde demonstrativa quadam ratione non modo existentia, verum

(c) Sieti promissis in Cosmologia generali methodo scientifica pertractata. A. 1731. primum edita, sed A. 1736. Veronæ recusa.

(d) Nimirum in Tractatu Germanico von den Absichten der natürlichen Dinge part. I. c. 2. Sed multo uberius in Theologia naturali §. 798 & seqq.

verum etiam attributa Numinis reliqua conſequantur, atque ſic perfectiones ſummas in hac idea univerſi veluti in ſpeculo contueamur.

§. IV.

Notanda de ceteris exiſtentiam Dei a poſteriori probandi modis.

Vulgo non ſatis diſcernitur, quomodo univerſum exiſtentiæ neceſſariæ Numinis, quomodo ſapientiæ, quomodo omniſcientiæ, quomodo potentiæ ſpeculum referat, hoc eſt, non diſtinguuntur ea, unde exiſtentia Numinis inferri debet, a ceteris, unde ejus ſapientia, omniſcientia, potentia &c. arguitur. Sed cum (quæ Dei gratia eſt) eo acumine polleam, ut hæc diſtinguere poſſim, quis jure ſuccenſebit, quod videns cæcutire nolim & aliorum acumen meo juvem, cum in his faciam quod officii eſt? Ego jam ante plures annos rationes publice reddidi (*e*), cur viam contingentiæ ceteris argumentis, quæ pro exiſtentia Dei afferri ſolent, prætulerim, nimirum cum præ ceteris, ſi rite incedamus, rigorem demonſtrationis optime ſuſtineat: id quod etiam Cl. *Bülffingerus* adſecutus (§. 3.). Oſtendi enim, quæ in ceteris occurrant difficultates, obſtantes utique, ut vel nonniſi multis ambagibus, atque ſic difficilius quam a nobis factum eſt, vel prorſus non ſummum in demonſtrando rigorem conſequaris, empæctis tandem neſcio in qua judicii valentia ſibimet applaudentibus os tandem obturaturum, ſi in arenam deſcendant. Neque ego primus ſum, vel ſolus, qui eas pervidit. Quotusquisque enim Philoſophorum atque Theologorum eſt, qui non agnoverit, omnes has vias, quas pro exiſtentia Dei demonſtranda commendant, non eſſe æque efficaces, cum quædam moralem ſaltem ingenerent certitudinem, quædam magis, quædam minus urgeant, quædam pluribus, quædam paucioribus atheorum expoſita ſint objectionibus? Sane, quæ adduxi verba ſunt Theologi multa eruditionis ac ſingularis moderationis laude dudum clariſſimi, ipſo ſenio nunc venerabilis, Summe Reverendi Abbatis *Schmidii f*). Quæ igitur hic

(e) In Ratione Prælectionum Sect. 2. c 2. §. 37. & ſeqq.
(f) In Theologia naturali poſitiva part. 1. Sect. 1. §. 6. p. m. 50.

hic in genere dicuntur, ego expreſſius docui, indicans ea, quæ ulteriorem demonſtrationem, quæ limitationem quandam poſtulant, ut majorem morali certitudinem nanciſcantur, nec atheorum exceptionibus amplius aliquis ſit locus. *Joannes Muſæus*, acerrimi judicii Theologus, *in rationibus & argumentis & rebus creatis de Deo deductis, ſæpe difficultatem haud exiguam latere & facile admitti errorem* judicat(g), *cum animum requirant artibus ac diſciplinis bene excultum* (*h*). Atque ea in re ſequitur D. *Thomam* (*i*) ita ſtatuentem: *Veritas de Deo per rationem inveſtigata a paucis & per longum tempus & cum admiſſione multorum errorum homini provenit.* Dum ego errores in demonſtranda exiſtentia Dei commiſſos indicavi, dum rationes cur difficilis ſit hac vel iſta ratione inſtituta demonſtratio enumeravi, dum quibus artibus ac diſciplinis excultus eſſe debeat animus demonſtratoris particulatim monſtravi; quid amabo! aliud egi, quam ut Summorum in eccleſia Doctorum iudicium ſtatuminarem? Argumentum meum a contingentia univerſi ad exiſtentiam entis neceſſarii ſive Dei procedens cur obſcuritatis inſimules non eſt. Cum enim totum univerſum, propterea quod contingentium in numero habetur, rationem exiſtentiæ in ſe nullam habeat; inde exiſtentiam entis neceſſarii infero, quod rationem ſufficientem exiſtentiæ hujus univerſi contineat, atque ens neceſſarium ita concipiendum eſſe probo, ut eorum, quæ in univerſo notantur nec in eodem rationem habent, ſufficientem contineat rationem. Sic Cosmologia metaphyſica, non imprudenti conſilio Theologiæ naturali a me præmiſſa, ad perfectiones divinas abſolute ſummas agnoſcendum inſtar fidiſſimi comitis manu duxit. Nemo hic obſcuritatem obtendet, niſi qui vel acuminis proprii de-

(g) In Introductione in Theologiam de diſtinctione Theologiæ in naturalem & revelatam c. 1. §. 13. p. 38.

(h) loc. cit. p. 39.

(i) in Summa Theologiæ part. 1. quæſt. 1. art. 1.

defectum fateri nolit, vel ſimulationum involucra conquirat, quibus deſidiam tegat. Si quis vero præfracte contendat, in autoritate omne præſidium collocans, ceteras vias, quæ in datione Prælectionum a me notantur, & claritate vincere eam, quam ego elegi, & animum magis convincere; ei per me integrum eſto, ut mea contemnat &, ſi quoddam inde ſolatium capit vel in eo ad tuendam autoritatem pondus quoddam invenit, prorſus damnet, certiſſime perſuaſus me hæc æquiſſimo animo laturum, quamdiu ab inſidiis abſtinebit. Pulchre in rem noſtram, paucis mutatis, loquitur *Keplerus*, ſagaciſſimi mortalium elogio dudum cohoneſtatus (k): *Qui hebetior eſt, quam ut* philophicam *ſcientiam capere poſſit, vel infirmior, quam ut inoffenſa pietate* Philoſopho *credat: ei ſuadeo, ut miſſa ſchola philoſophica, damnatis etiam ſi placet Philoſophorum quibuscunque placitis ſuas res agat & ab hac peregrinatione mundana deſiſtens domum ad agellum ſuum excolendum ſe recipiat, oculisque, quibus ſolis videt, in hoc adſpectabile cœlum ſublatis toto pectore in gratiarum actionem & laudes Dei conditoris effundatur, certus ſe non minorem Deo cultum præſtare quam* Philoſophum, *cui Deus hoc dedit, ut mentis oculo perſpicacius videat.* Neminem, puto, offendent verba *Kepleri:* de argumentis enim philoſophicis & eorum forma ſermo eſt, quorum utique ad Philoſopiam ſpectat dijudicatio.

§. V.

Ceterum ne temere cenſuiſſe videar, quod cenſuram non merebatur, utque appareat me non ex præcipitantia ſtatuere, antequam ad trutinam expenderim, de quo eſt ſtatuendum, præſertim ubi de re maximi momenti, qualis eſt Numinis divini exiſtentia, agitur; in gratiam intelligentium clarius ediſſeram, unde ſit, quod nonnullis argumentis, quæ pro exiſtentia Dei a conditione univerſi petun-

Nexus inter attributa divina ſingulari qualidam ratione expenditur.

(k) In Introductione ad Commentarium de ſtella Martis.

tuntur, tantum inſit certitudo moralis & cur nonnullæ per ambages ad exiſtentiam Dei perducant. Tenendum itaque, mundum non eſſe ſpeculum exiſtentiæ divinæ niſi vi contingentiæ, qualem ego in meditationibus meis metaphyſicis definio, hoc eſt, non dari in univerſo generatim expenſo quicquam præter contingentiam, unde ad Dei exiſtentiam firmo mentis ratiocinio aſſurgere valeas. Etſi enim objicias, harmoniam præſtabilitam inter mentem & corpus demonſtrativa ratione arguere exiſtentiam Numinis, nec me ea in re diſſentientem habeas: attamen attentius arguendi modum conſiderans clariſſime videbis, cur hinc exiſtentia divinitatis inferatur, non aliam ſubeſſe rationem, quam contingentiam actus. Quodſi enim hæc harmonia neceſſaria eſſet quoad actum, fieri ſane haud quaquam poſſet, ut divinitatis exiſtentia inde concluderetur. Qui ad alios divinitatis characteres in univerſo expreſſos animum advertunt, non hinc exiſtentiæ, ſed aliorum attributorum divinorum ideam nanciſcuntur, atque ſic per ambages ab hoc attributo ad exiſtentiam demum pervenire debent, ſi quidem plena demonſtratione ſcrupuloſioribus veritatis indagatoribus ſatisfacere velint. Illud quidem fieri poteſt propter nexum attributorum divinorum inter ſe, vi cujus ab uno ad alterum argumentari licet, adeoque etiam ad exiſtentiam neceſſariam, quæ inter attributa divina ſuum quoque tuetur locum, quemadmodum e. gr. a ternario numero laterum in triangulo ad ternarium angulorum numerum & ab hoc ad iſtum, itemque a ternario numero angulorum trianguli rectilinei ad eorundem cum duobus rectis æqualitatem & ab hac æqualitate ad ternarium numerum in Geometria elementari argumentatio procedit, aut in ſublimiori ſemiordinata rectangulo abſciſſæ in conſtantem potentia æquali ad ſubnormalem conſtantem & viciſſim ab hac ad iſtam certo ſemper argumento concluditur. Quodſi ergo ex contemplatione univerſi acquiſiveris e. gr. notionem ſapi-

ſapientiæ divinæ, inde ad exiſtentiam divinam certa dabitur argumentatio. Sapientia divina eſt abſolute ſumma, exiſtentia divina abſolute neceſſaria. Datur itaque nexus tantum inter ſapientiam abſolute ſummam ſeu perfectiſſimam & exiſtentiam neceſſariam. Sed non cuiusvis eſt nexum hunc perſpicere, nec cuiusvis etiam eſt notionem ſapientiæ abſolute ſummæ ſeu perfectiſſimæ ex contemplatione univerſi derivare, niſi ſupponas (exiſtentia divinitatis, unde mundus pendet, aliunde demonſtrata) univerſum eſſe opus Dei ſeu entis neceſſarii ab eodem diverſi, & rationem hujus ſufficientem continentis, hoc eſt, niſi ex contingentia mundi exiſtentiam Dei ante deduxeris. Et ſi verum fatendum eſt, hac ratione ſemper reducitur exiſtentiæ divinæ demonſtratio ad argumentum *Carteſii*. Hæc ut facilius intelligantur, exemplo aliquo ſpeciali opus eſt. Sumamus ergo argumentum, quod a finibus peti ſolet ac præ ceteris aſſenſum urgere judicatur. Finium conſideratio ſapientiæ ideam animo ingenerat, atque ego, poſtquam via contingentiæ ad exiſtentiam Numinis perveni, per fines ſapientiam ejus agnoſco. Antequam conſtat, eſſe Deum & ab ejus libero decreto pendere præſentem univerſi conditionem, non certo conſtat, utrum uſus, quem ſibi mutuo præſtant res naturales, in finium numero collocandi ſint, nec ne: finis enim juxta notionem communem ſupponit agens liberum, quod eum intendit & cujus gratia operatur. Qui ergo res naturales contemplatus ſumit, earundem uſus eſſe fines, is tacite ſupponit, ſtructuras & texturas rerum earumque præſentem conditionem alias eſſe potuiſſe; ſed has deſtinato quodam conſilio electas fuiſſe, conſequenter vi contingentiæ exiſtentiam entis, a quo mundus pendeat, vitio quodam ſubreptionis in ratiocinando commiſſo, ſumit, hincque naſcitur omne, quod ſentire nobis videmur, argumenti robur. Equidem in hac ſuppoſitione nihil falſi eſt, ſed bona tamen methodus requirit, ut non gratis ſupponantur,

nec vitio ſubreptionis tanquam clara admittantur, quæ demonſtratione indigent, præſertim ſi argumentum exceptionibus ad ſpeciem multam compoſitis non debeat eſſe expoſitum. Quodſi leges methodi ſeverius cuſtodias, nondum demonſtrata Dei exiſtentia & univerſi ab eodem dependentia, quod finium nomine in rebus naturalibus celebratur, notionem quidem ſapientiæ admirandæ, ſed non perfectiſſimæ ſeu abſolute ſummæ animo ingenerare aptum. Enimvero ſi anſam inde arripimus ſumendi perfectiſſimam ſeu abſolute ſummam ſapientiam, de ejus realitate a poſteriori non conſtat. Quamobrem cum ex aliqua notione firmiter nil concludatur, niſi ejus realitate evicta, demonſtrandum utique eſt, notionem ſummæ ſapientiæ eſſe poſſibilem, antequam eam pro attributo alicujus entis habere atque hinc ulterius evincere poſſis, attributum iſtud eſſe entis neceſſarii ob nexum ſcilicet, quæ ſapientiæ perfectiſſimæ cum exiſtentia neceſſaria intercedit. Atque ſic tandem per multas ambages deducimur ad argumentum *Carteſii*, quod eo demum in caſu genuinum admiſit D. *Thomas*, ubi evictum fuerit, perfectionis ſummæ notionem eſſe realem, ſeu, ut *Leibnitius* loquitur, perfectionem ſummam eſſe poſſibilem. Ut igitur adpareat, quomodo a ceteris viis, quæ ad divinarum perfectionum notiones ducunt, regreſſu ad *Carteſii* argumentum facto, tandem ad exiſtentiam Numinis perveniatur; in genere oſtendam, perfectionem ſummam eſſe poſſibilem: id quod ad unamquamque perfectionem divinam in ſpecie, occaſione ita ferente, applicare licebit. Tenendum itaque eſt, omnem negationem provenire ab entitatis defectu atque adeo non habere locum in eo, quod expers omnis limitationis cenſetur, liberum profecto a defectu ulterioris entitatis, quem adfert limes. Fieri ergo haud quaquam poteſt, ut, quod limites neſcit, negationem quandam in conceptu ſuo includat. Quamobrem cum contradictio ſimultaneam ejusdem adfirmatio-

tionem & negationem ponat, in eo, quod illimitatum eſt, qualis perfectio ſumma habetur, contradictioni nullus relinquitur locus. Jure autem definitionis inter poſſibilia locum ſibi vindicat, quod a contradictione liberum ac immune. Nil igitur obſtat, quo minus perfectionem ſummam in eorundem numerum referamus. Ex his apparet, argumenta a poſteriori petita rigorem tunc demum tueri, ubi ad rationes metaphyſicas reducuntur: unde non mirum, quod *Carteſius*, quod nos, quod alii ad rationes metaphyſicas delapſi fuerimus, ubi eadem in prima principia reſolvere decrevimus, ut evidentiam rationis conſequeremur. Quibus ratio non ſatis exculta, illos lux nimia confundit, ut de obſcuritate conquerantur principiorum minime familiarium concatenationem ſibi inſuetam videntes, at non pervidentes, quemadmodum ad lucem ſolis meridianam caligant, qui ex loco umbroſo in apricum ſubito procedunt.

§. VI.

Cur nexum rerum ſcrutatus fuerit Autor, & quare.

Ut contingentiam totius univerſi in aprico collocaremus, nexum rerum materialium intimius ut ſcrutaremur opus fuit. Quodſi enim is abſolutam habeat neceſſitatem, nullus in univerſo erit contingentiæ locus; arcebitur ex eodem ſapientia, arcebuntur fines, arcebitur a rebus creatis perfectio, quam ipſis tribuit vulgatum illud Metaphyſicorum: *omne ens eſt bonum ſeu perfectum.* Quod ſi vero rerum nexus a neceſſitate abſoluta fuerit exemptus, univerſum contingenter exiſtit: ſi nihil in eodem fuerit ſine ratione, arcebitur fatum & ſapientiæ fores panduntur, locumque habere poteſt in rebus perfectio. Conſtat *Spinoſam*, *Hobbeſium*, alios contingentiam totius univerſi negare, a rebus corporeis perfectionem, a mundo ſapientiam auferre, cuncta fato ſubjicere. Ut igitur fontes errorum detegerem, principia excutienda fuere, quibus ipſorum hypotheſes nituntur, utque concluſiones profanas, abſurdas, impias evitaremus, ſaniora & veriora

principia ſurrogari oportuit. Contraria, quibus neceſſitatis abſolutæ ac fati defenſores utuntur, ſtabilivimus: ſic enim certiſſimum erat, contrarias quoque prodituras eſſe concluſiones. Quis enim conceſſerit, ex principiis contrariis, immo contradictoriis, eandem ſequi concluſionem. Ecce igitur, quænam præmeditatus fuerim, antequam rem arduam, quæ ſummorum ingeniorum vires deluſerat, excutiendam aggrederer! Nonne vides, me non cœco quodam impetu in nexum rerum a me ſtabilitum irruiſſe, ut facillimum fuerit nubem pro Junone amplecti?

§. VII.

Diſſenſus Autoris & Spinoſæ circa notionem poſſibilium.

Cœpi itaque in notiones poſſibilis & impoſſibilis, neceſſarii atque contingentis inquirere, ut ex diſtinctis judicium fieret, cum, quæ a confuſis ortum ducunt, errori ſæpius obnoxia dreprehendantur. Cum ergo conſiderarem, neminem eſſe, qui non inter impoſſibilia referat rectilineum bilineum, triangulum rectilineum tres angulos duobus rectis majores habens, vel triangulum æquiangulum inæqualium laterum & quæ his gemina ſunt, modo elementorum Geometriæ fuerit gnarus; in rationem inquiſivi, cur iſtiusmodi entia pro abſolute impoſſibilibus habeantur, ita ut ne Deus quidem per omnipotentiam ſuam iſtiusmodi quid efficere poſſe concipiatur: nemo enim eandem ad ea extendit, quæ ſimpliciter fieri non poſſe intelliguntur. Statim autem animadverti, rectilineum bilineum pro impoſſibili haberi, quod ejus notio contradictionem involvat, cum a Geometris demonſtretur ipſique ſenſui manifeſtum ſit, duas rectas ſpatium comprehendere non poſſe. Nec aliam ſubeſſe rationem in ceteris, haud difficulter adſecutus fui. Etenim contradictoriæ ſunt propoſitiones: Figura habet tria latera rectilinea & eadem figura habet tres angulos duobus rectis majores, cum nullo modo fieri poſſe concipiatur, quam ut figura trilatera rectilinea tres habeat angulos duobus rectis æquales. Similiter contradictorium eſt, habere tres angulos æquales & tria latera

tera inæqualia. Uno admiſſo, alteri locus non eſt. Nullus igitur dubitavi definire *impoſſibile* per id, quod contradictionem involvit, cum hanc impoſſibilis notionem eſſe reperiſſem, juxta quam judicant Geometræ, rigidiſſimi demonſtratores, conſentientibus omnibus, quotquot eorum judicia adſequuntur. Nec puto quempiam fore, qui circa hanc impoſſibilis definitionem ſcrupulum moveat. Et ſi quis eſſet, qui contradictoria admitteret, contra primum Philoſophiæ principium, quod *fieri non poſſe* inculcat *ut idem ſimul ſit & non ſit;* næ! adverſus illam valeat vulgatum illud: *contra negantem principia non eſt diſputandum.* Nimirum niſi quis hoc contradictionis principium admittere velit, fieri non poteſt, ut ullius veritatis convincatur, vel ullius erroris redarguatur. Poſtulat enim, ut ſibi pro arbitrio inſanire liceat. Jam vero hoc conceſſo, impoſſibile eſſe, quod contradictionem involvit; non video, quo jure negari poſſit, *poſſibile* eſſe id, quod contradictionem non involvit, perinde enim eſt, ac ſi diceres, poſſibile eſt, quod non impoſſibile. Alteram contradictionis partem definiri poſſe per alteram, quæ alia ratione definita fuit, Logicæ ſatis gnarus non ignorat. Et ſiquis regulam male intellectam, quod definitiones non eſſe debeant negativæ, ad hunc caſum trahere vellet, is facile erroris in applicando commiſſi convinceretur, ratione non procul petita, ſed ex ipſa definitionis nominalis (quam recentiores vocant) definitione. Statim equidem ſuccurrebat, abſolutæ neceſſitatis defenſores hanc *poſſibilis* definitionem ægre ferre, cum huic hypotheſi inimica reperiatur: enimvero cum nullo jure impugnari poſſit, immo maxima in prima eaque evidentiſſima principia injuria rejiciatur, collegi inde illius propugnatores ante ſtatuiſſe, quam de principiis cogitarent, nec ab his ad concluſiones deſcendiſſe, id quod bonæ methodi legibus merito adverſum judicatur. Sane *Spinoſa* & alii, qui neceſſitati abſolutæ atque fato patrocinantur,

poſſi-

poſſibilium numerum valde reſtringunt, cum in eodem juxta ipſos non ſit, niſi quod vel actu eſt, vel aliquando fuit, vel olim futurum. Inde emanavit poſſibilium definitio, quæ legitur apud *Spinoſam* (*l*), quod ita dicantur *res ſingulares, quatenus, dum ad cauſas, ex quibus produci debent, attendimus, neſcimus an ipſæ determinatæ ſint ad easdem producendum.* Atque ideo *Spinoſa* poſſibilitatis *notionem tantum defectum cognitionis noſtræ circa rei exiſtentiam ſignificare* (*m*) ſtatuit. Ejus de poſſibilitate dogma, omnibus fatalis neceſſitatis aſſertoribus ante ipſum commune, jam operoſe refellit D. *Thomas* & ex eo *Dominicus de Flandria*, Philoſophorum Thomiſtarum princeps (n). Convenit autem quoad rem Doctoris Angelici definitio cum noſtra: cum enim *poſſibile eſſe*, ait, *quo poſito in eſſe, nullum ſequitur impoſſibile*; quid, quæſo aliud ſibi volunt hæc verba, quam poſſibile nullam in ſuo conceptu involvere contradictionem. Et tenendum quidem eſt, dudum agnoviſſe Philoſophos, etiam Scholaſticos, notionem poſſibilium, quam nos amplectimur, neceſſitati abſolutæ contraria eſſe; oppoſitam vero, qua poſſibilitas cum actu iisdem limitibus coërcetur, cum neceſſitate abſoluta adeo firmiter connexam eſſe, ut uno admiſſo alterum negari nequeat. En differentiam noſtræ poſſibilium notionis a notione, quam format *Spinoſa*, quam formarunt ante ipſum, quotquot neceſſitati abſolutæ patrocinati fuerunt. Noſtra poſſibilium notio neceſſitati geometricæ adeo inimica, ut eadem admiſſa hæc collabatur. Nos igitur tanquam poſſibile admittimus, quicquid nihil contradictionis involvit, ſive illud exiſtat, ſive non. Actus ad poſſibilitatem non confert. Poſſibile ſane eſt, ut menſæ quadratæ inducatur figura rotunda, etſi forſam nunquam futurum, ut eo-

(l) Ethic. part. 4. def. 4. p. 165.
(m) In Cogitatis Metaphyſicis part. 1. c. 3. p. 104.
(n) In Quæſtionibus in libros Metaphyſ. Ariſtot. lib. 9. quæſt. 3. art. 1. p. 650. & ſeqq.

eadem figura eidem unquam inducatur. Similiter juxta noſtram notionem poſſibile fuit, ut ſurgerem, cum ſederem: quod *Spinoſa* & Fataliſtæ minime concedunt, nec ſalva ſua hypotheſi concedere poſſunt.

§. VIII.

Vidimus, quis ſit circa notionem poſſibilium diſſenſus inter me & *Spinoſam*, ſeu in genere inter eos, qui contingentiam univerſi admittunt, & illos, qui fatalem neceſſitatem defendunt. Sed agedum! videamus porro, quinam ſit diſſenſus circa notionem neceſſarii & contingentis me inter atque *Spinoſam*, ſeu ut (verborum tædioſas ambages evitare liceat) inter *Contingentiarios* & *Fataliſtas*. Ego *neceſſarium* definivi per id, cujus oppoſitum contradictionem involvit, ſeu impoſſibile exiſtit (o). Hanc notionem ut certam conſequerer, denuo a poſteriori derivavi, expenſis exemplis neceſſariorum extra omnem controverſiæ aleam poſitis. Nemo non largitur, quæ numeris ac figuris inſunt, veritates neceſſarias eſſe, cum inde factum conſtet, ut *neceſſitatem abſolutam* ſeu abſolute ſic dictam, de qua nobis in præſenti ſermo eſt, *geometricam* dixerint Philoſophi. Abſolute igitur neceſſarium eſt, triangulum rectilineum habere tres angulos duobus rectis æquales, at pro tali non habetur, menſæ figura eſt quadrata. Verum enim vero quænam differentia intercedit inter has propoſitiones logice conſideratas, & quænam ſubeſt ratio, ut in priori *prædicatio* dicatur *neceſſaria*; in altera *contingens*, ſeu, quod perinde eſt, ut ipſa prior propoſitio dicatur *neceſſario*, poſterior nonniſi *contingenter vera*? Differentia profecto non alia intercedit, quam quod propoſitio priori oppoſita, triangulum rectilineum habet tres angulos duobus rectis inæquales, ſit impoſſibilis, quæ vero poſteriori opponitur, menſa non habet figuram quadratam, ſit poſſibilis, cum evidens ſit, ejus figuram

Diſſenſus Autoris & Spinoſæ circa notionem neceſſarii & contingentis.

(o) In Meditat. Metaphyſ. §. 36.

quoque rotundam & polygonam fieri poſſe, hoc eſt, nullam dari figuram planam, quæ non perinde ac quadrata menſæ induci queat. Evidens adeo erat *neceſſarium* hic dici, cujus oppoſitum impoſſibile, ſeu contradictionem involvit; *Contingens* vero vocari, cujus oppoſitum poſſibile deprehenditur. Atque ita una naſcebatur contingentis definitio, tanquam ejus, quod neceſſario opponitur. In his non acquievi, ſed ulterius progreſſus in rationem inquiſivi, unde ſit, quod in aliis oppoſitum ſit impoſſibile, in aliis vero poſſibile. Attendi igitur denuo ad exempla modo allata atque intellexi æqualitatem trium angulorum cum duobus rectis determinari per numerum ternarium laterum & per linearum ſpeciem, neque adeo integrum eſſe, ut numero ac ſpecie laterum ſalvis angulorum quantitas varietur: contra vero per ea, quæ notio menſæ involvit, figuram quadratam non determinari, ſed ſalva iſta hanc variis modis determinari poſſe. Atque hæc eſt ratio, cur fontem contingentiæ ultimo quæſiverim in determinabilitatis diverſitate. Sed ea hic diſtinctius exponenda non ſunt, cum tuto ignorentur, etiamſi diſſenſum me inter atque *Spinoſam* in hoc argumento perſpicere velis. Ceterum omne in Geometria theorema ita ſe habet, ut ejus oppoſitum ſit imposſibile. Ideo duplici via ejus veritatem demonſtrare licet, vel *directe* oſtendendo ſcilicet ejus poſſibilitatem, ſeu nexum cum veritatibus aliis, unde ſequitur; vel *indirecte*, monſtrando oppoſiti imposſibilitatem, ſeu contradictionem, quam cum aliis veritatibus involvit. Neque vero noſtra definitio abſolute neceſſarii differt a definitione *D. Thomæ* quod ſcilicet ſit *illud, quod non contingit aliter ſe habere* (p): cum enim neceſſarii oppoſitum ſit impoſſibile, contingere profecto nequit ut aliter ſe habeat. V. gr. quoniam imposſibile eſt triangulum rectilineum habere tres angulos duobus

(p) Vid. Dominicus de Flandria loc. cit. lib. 5. quæſt. 5. art. 1. f. 237.

bus rectis majores, contingere ſane nunquam poteſt, ut iidem in aliquo triangulo rectilineo duobus rectis majores evadant. Retinetur definitio D. *Thomæ* etiam a Theologis Auguſtanæ Confeſſioni addictis, qui ſuis eandem compendiis inſerere ſueverunt. Exemplo eſto *Scherzerus*, Theologus quondam apud Lipſienſes clariſſimus (q). Dudum autem monuit Doctor Angelicus, neceſſitatem abſolutam pendere ab intrinſeco, nequaquam vero ab extrinſeco quodam principio. Ego qui operam dare ſoleo, ut diſtincte explicem, quæ ab aliis confuſis notionibus contentis indigitantur, clariſſime oſtendi, quodnam ſit illud intrinſecum abſolutæ neceſſitatis principium, nempe determinabilitatis unicitas (ut voce barbara uti mihi liceat ad rem accurate exprimendam aptiſſima) aut, ſi mavis, immutabilitas. Oſtendi enim v. gr. in triangulo rectilineo per id, quod perimeter tribus conſtet lineis rectis, quantitatem angulorum omnium ſimul ita determinari, ut alii locus eſſe nequeat, ſalva hac perimetro. Contingens opponi neceſſario, nemo ignorat. Quamobrem ipſa notio neceſſarii inſinuat, quid ſibi velit contingens. Nimirum quoniam neceſſarium eſt, cujus oppoſitum impoſſibile; *contingens* definiri debet per id, cujus oppoſitum eſt poſſibile. E. gr. Sedere, & non ſedere ſibi mutuo opponuntur. Sed non ſedere perinde poſſibile eſt atque ſedere, etiam tum, quando ſedemus. Atque ideo actus ſedendi pro contingente habetur. Similiter figura menſæ quadrata inter contingentia refertur, quoniam non quadratam, v. gr. polygonam aut rotundam, perinde recipere valet ac quadratam. Quod ſi ergo porro quæſiveris, quodnam principium contingens agnoſcat, videbis profecto, non aliud eſſe, quam quod principio neceſſarii opponitur, nempe, determinabilitatis diverſitatem. E. gr. data corporis humani ſtructura, diverſi ſitus ſunt poſſibiles, cum

(q) In Manuali philoſophico p. 139.

vi eiusdem determinari posſit ad ſedendum, ſtandum, cubandum &c. Atque ideo unus ſitus eidem non neceſſario competit, ſed contingenter. Intelligimus porro exiſtentiam ſeu actum contingentis cum non habeat intrinſecum, ratione extrinſeca gaudere, atque in eo a neceſſario differre. Neque noſtra contingentis notio ab ea differt, quam habet D. *Thomas* (r) *contingens* definiens per *id quod poteſt eſſe & non eſſe.* Etenim ſi contingentis oppoſitum posſibile, patet etiam illud eſſe non poſſe: eſſe enim hic idem eſt ac exiſtere. Similiter qui vulgo *contingens* definiunt (s) per *id quod aliter ſe habere poteſt*, a nobis minime diſſentiunt. Quod enim aliter ſe habere poteſt, ejus oppoſitum posſibile eſſe debet: ſecus enim aliter ſe habere non poſſet. *Spinoſa* neque in Cogitatis Metaphyſicis, neque in Ethica definitionem neceſſarii in genere adfert, quam ſtudio evitaſſe videtur, ut lectori facilius fatalem rerum neceſſitatem perſuaderet. Equidem haud ægre definitionem noſtram admiſſurus videtur, quod ſcilicet neceſſarium ſit illud, cujus oppoſitum impoſſibile: enim vero qui curatius res expendunt, me non monente perſpiciunt, illam tantum admitti quoad verba, nequaquam vero quoad vim & poteſtatem verborum. Etenim cum magna differentia circa notionem posſibilis ac impoſſibilis inter nos atque *Spinoſam* intercedat, alia prorſus ratione definitionem noſtram neceſſarii *Spinoſa* interpretari debet, quam a nobis fieri ſolet (§. 7.). In Cogitatis Metaphyſicis (t) monet, *neceſſarium duobus modis dici, vel reſpectu eſſentiæ, vel reſpectu cauſæ. Reſpectu eſſentiæ Deum neceſſario exiſtere, cum ejus eſſentia non poſſit concipi ſine exiſtentia. Chimæram reſpectu implicantiæ ſuæ eſſentiæ non potis eſſe, ut exiſtat. Reſpectu cauſæ dici res e. gr.*

(r) Vid. Dominicus de Flandria loc. cit lib. 6. quæſt. art. 2. f. 443.
(s) Scherzerus in Manuali Philoſophico p. 43.
(t) c. 3. p. 100. 101.

gr. materiales eſſe impoſſibiles aut neceſſarias: nam ſi tantum ad eorum eſſentiam reſpiciamus, illam concipi poſſe clare & diſtincte ſine exiſtentia, ac ea propter eas nunquam exiſtere poſſe vi & neceſſitate eſſentiæ: ſed tantum vi cauſæ, Dei nempe omnium rerum creatoris. Si itaque in decreto divino ſit, ut res aliqua exiſtat, eam neceſſario exiſtere; ſin minus, impoſſibile eſſe, ut exiſtat. Per ſe enim manifeſtum eſſe, id quod nullam cauſam, internam ſcilicet aut externam habeat ad exiſtendum, impoſſibile eſſe, ut exiſtat. Atqui rem in hac ſecunda hypotheſi poni talem, ut neque vi ſuæ eſſentiæ, quam per cauſam internam intelligat, neque vi decreti divini, unicæ omnium rerum cauſæ externæ, exiſtere poſſit: unde ſequatur, res, ut in ſecunda hypotheſi ſtatuantur, impoſſibiles eſſe ut exiſtant. Quis non videt, quanta his verbis inſit confuſio, quod notiones impoſſibilis & neceſſarii non ſatis diſtinguantur, nec notio neceſſarii in genere evolvatur? Antequam enim affirmare licet, neceſſarium aliquid eſſe vel reſpectu eſſentiæ, vel reſpectu cauſæ; diſquirendum eſt in genere, quid ſit neceſſarium. Hæc ſane diſtinctio reſtringit neceſſitatem ad ſolam exiſtentiam, nec reſpectum una involvit ad eſſentiam, de qua tamen neceſſitas quoque prædicatur. Qui diſſenſum inter nos & *Spinoſam* de notione poſſibilis animo comprehendit (§. 7.), fontem erroris *Spinoſæ* detexit. Ceterum ex dictis liquet, *Spinoſam* id agere, ut oſtendat, omnia abſolute impoſſibilia eſſe, quæ in decreto divino non habeantur ut exiſtant, atque adeo poſſibilitatem a decreto divino, conſequenter ab ipſius voluntate arceſſere. Hæc enim hypotheſis favet ipſius hypotheſi principi de fatali neceſſitate, neque per noſtra ac Philoſophorum Scholaſticorum, nec non Theologorum Auguſtanæ Confeſſioni & eccleſiæ Romanæ addictorum principia ſtare poteſt, per quæ rerum eſſentiæ in intellectu divino ante decretum concipiuntur: ſic enim ab eodem nulla in res derivatur neceſſitas abſoluta, quam vi decreti iisdem ineſſe con-

tendit *Spinoſa*. Sed de his infra ſuo loco dicentur plura. In Ethica (u) neceſſitatem definit, quatenus opponitur libertati, ita ut ſit ſynonymon coactionis, atque hoc in ſenſu *res neceſſaria vel potius coacta* ipſi eſt, *quæ ab alio determinatur ad exiſtendum & operandum certa ac determinata ratione*. Sed hæc ſignificatio nihil facit ad rem præſentem, ubi ſermo eſt de mundo materiali, an contingenter exiſtat & de eventibus etiam rerum materialium in univerſo, num fatalis quædam neceſſitas ipſis inſit. Apparet adeo denuo, notionem neceſſitatis in genere a *Spinoſa* non fuiſſe evolutam: id quod tamen fieri debebat, ubi de fatali rerum neceſſitate tractatur, cum notiones iſtæ generales tanquam ſimpliciores hanc notionem magis complexam ingrediantur. Enimvero confuſio parit errorem & facit ad palliandos errores: unde non mirum, ſi in tanta notionum ſimpliciorum confuſione non caſte fuerit philoſophatus. Interea evidens eſt, nos a *Spinoſa* circa notionem *neceſſarii* diſſentire, non modo quod diſtinguamus, quæ ille confundit, & explicemus, quæ idem ſicco pede præterit; verum etiam quod noſtra definitione neceſſarii ſalva ſubſiſtere nequeant, quæ de neceſſitate philoſophatur: id quod mox clarius conſtabit, ubi ad concluſiones deſcendemus. Quod contingentiam attinet, neceſſitatis abſolutæ oppoſitum, in Ethica nobiſcum conſentire videtur. *Res ſingulares*, ait (x), *voco contingentes, quatenus, dum ad earum ſolam eſſentiam attendimus, nihil invenimus, quod earum exiſtentiam neceſſario ponat, vel quod ipſam neceſſario ſecludat*. Enimvero re attentius conſiderata, toto cœlo a nobis differt. Nos enim definivimus contingens per id, cujus oppoſitum non impoſſibile: Sed hoc non prorſus coincidit cum eo, quod rationem exiſtentiæ in ſe non habet, nec exiſtentiæ repu-

(u) Part. 1. def. 7. p. 2.
(x) Part. 4. def. 3. p. 165.

pugnet, quo abit definitio *Spinoſæ*. Etenim ſecundum noſtram definitionem non implicat, ut oppoſitum, tanquam æque poſſibile, perinde exiſtat: ſed hæc implicantia locum habere poteſt, ſalva definitione *Spinoſæ*, quemadmodum etiam eandem tuetur. Et ſicuti in ceteris principiis hominis vafri, ita hic quoque ſingula ejus verbà probe ſunt conſideranda, ne incautis imponat. Latet enim anguis in herba. Etenim quid ſibi volunt hæc verba: *dum ad earum ſolam eſſentiam attendimus?* Nonne vides, notionem contingentiæ in earum numerum referri, quas *ſecundas* vocarunt Scholaſtici, & quibus nihil extra mentem reſpondet, cum a defectu cognitionis ortum trahant, quem voce *ſola* indicat *Spinoſa*. Immo alibi (y) mentem ſuam clarius exponit & contingentiam inter defectus noſtræ perceptionis refert, negans contingens eſſe reale quidpiam. *Si ad rei*, inquit, *eſſentiam ſimpliciter, non vero ad ejus cauſam attendamus, illam contingentem dicemus, hoc eſt, illam ut medium inter Deum & chimæram, ut ſic loquar, conſiderabimus, nempe quia ex parte eſſentiæ nullam in ipſa reperimus neceſſitatem exiſtendi, ut in eſſentia divina, neque etiam implicantiam ſive impoſſibilitatem, ut in chimæra. - - Sat erit, ſi nobis concedat, hæc duo (nempe poſſibile & contingens) nonniſi defectus noſtræ perceptionis, nec aliquid reale eſſe.*

§. IX.

Poſtquam igitur oſtendi, quanta ſit differentia inter nos & *Spinoſam* circa notiones ſimpliciores, in quas notio nexus rerum materialium reſolvitur; nunc propius ad rem præſentem accedendum eſt, ut internum diſcrimen iſtius nexus & fatalis neceſſitatis clariſſimum evadat. Danda itaque eſt opera, ut rem arduam ad captum explicemus. Eum in finem primum nexum rerum materialium, qualis a me defenditur, deſcribere lubet; mox

Nexus rerum materialium, quem Autor defendit, deſcribitur.

(y) In Cogitatis Metaphyſ. part. 1. c. 3. p. 102.

mox delineaturus fatalis neceſſitatis faciem: ita tandem ex utriusque collatione diſcrimen manifeſtum evadet. Res materiales connexas eſſe ſtatuo cum ratione ſpatii, tum ratione temporis (z), & hinc omne univerſum, quatenus omne ſpatium replet & omne tempus exhaurit, unum totum & ens unum eſſe probo (a). Atque ea eſt ratio, quod *univerſum* definiam per ſeriem ſimultaneorum & ſucceſſivorum inter ſe connexorum (b). Unde appareret, vim dictis inferri, ſi qui ad ſtructuram mechanicam mundi ſeu compagem corporum mundi totalium trahunt, quæ ego de univerſo prædico: neque enim univerſum, prout a me ſumitur, idem eſt cum compage corporum mundi totalium, ſed plura involvit. Fieri poteſt, ut in univerſo mutatio accidat, nec idem ſubſiſtat, etſi compages corporum mundi totalium eadem maneat. Dabo exemplum: Poſt *Leibnitium* oſtendi, ſi quis a Deo per miraculum in natura corporea producatur effectus, naturaliter non ſecuturus, univerſum in poſterum non amplius fore idem, quod abſente miraculo futurum fuerat, niſi per potentiam Dei extraordinariam ſtatus per miraculum mutatus talis reſtituatur, qualis naturaliter futurus erat. Ratio hæc eſt, quod ob rerum nexum in futuro univerſi ſtatu a miraculo ſemper aliquid admittendum, quod non futurum erat, miraculo abſente. Minima autem diverſitas tollit identitatem. Declaravi rem ſimili, comparans miraculum cum motu indicis in horologio vi externa vel retroacti, vel promoti, qui ſitus diverſitatem inducit omni tempore ſubſecuturo, quamdiu motus internus durat. Sed qui hanc mutationem ad compagem corporum mundi totalium trahunt, quaſi per miraculum ſol & planetæ ſuis locis dimoveri dicantur, & hanc ſententiam ineptam oppugnant, illi cum umbris pugnant & ſimiles ſunt ei, qui ſimile ita interpretaretur, quaſi ob adſertum

(z) §. 548. Met. (a) §. 549. (b) § 544.

tum motus indicem diverſum a violento e ſitu ſuo motu, qui per ſtructuram non futurus fuerat, ſtatueretur machinæ ſtructuram internam mutari. Sed ſinamus Sciamachos fortitudinem ſuam exercere in pugna (ſi ſuperis placet!) tam laudabili, neque enim invidemus ipſis victoriam, ſi quam de umbris ſuis reportaturi ſunt, atque e diverticulo in viam redeuntes nexum rerum materialium curatius luſtremus, quamvis mihi non appareat, cur is providentiam divinam negare dicendus ſit ipſaque miracula, qui per miraculum in corpore partiali patratum mutationem aliquam compagi totalium induci per errorem ſtatueret. Ego tam lynceus eſſe non opto, ut talia videam. Quodſi igitur res in univerſo inter ſe connexas ſpectes; ego vi notionis poſſibilium (§. 7.) admitto, eſſe adhuc alia corpora mundi totalia perinde ac ea, quæ exiſtunt, poſſibilia, quæ ſimili aut diverſa ratione collocari poſſunt: immo ſi aſſerueris, hæc ipſa, quæ præſentem rerum compagem conſtituunt, corpora totalia alia adhuc ratione collocari potuiſſe, me non invitum habebis. Corpora enim mundi totalia ego cum rotis horologii comparare ſoleo, quarum in locum aliæ ſubſtitui poſſunt, ſi diverſam ab eo machinam deſideres, & quas ipſas etiam ad conſtructionem alterius machinæ adhibere liceret, ſi quidem præſentem compagem diſſolvere volueris. Diverſa mundi ſyſtemata, quæ apud Aſtronomos proſtant, clariſſime loquuntur, eadem corpora totalia diverſis modis locari poſſe & ſic diverſas prodire eorundem compages. Atque ea ratio eſt, cur a priori veritas ſyſtematis mundani demonſtrari nequeat, ſed ex phænomenis dijudicanda ſit. Si eadem corpora totalia nonniſi uno modo locari poſſent, ceteri tanquam impoſſibiles contradictionem involverent (§. 7.), & hac contradictione oſtenſa corrueret prætenſa compages. Enimvero cum ab ea, quæ exiſtit, diverſæ contradictioni obnoxiæ non ſint, nec earum a priori impoſſibilitas demonſtrari poteſt. Diverſitas corporum mundi

totalium in partialibus diverſitatem requirit: etenim ſi hæc forent prorſus eadem, nec in eorum ſituatione diverſitas aliqua occurreret, totalia ut differrent fieri haud quaquam poſſet. Quoniam adeo admitto, præſentem rerum compagem aliter ſe habere poſſe, ſeu, ut magis philoſophice dicam, oppoſitas eidem compages alias non eſſe impoſſibiles; juxta communem ac meam contingentis definitionem pro contingente habenda, nec abſolutæ neceſſitati ſubeſt (§. 8.). Equidem non nego, antequam eadem potentia divina ad actum deduceretur, immo antequam Numen omniſcium ejus exiſtentiam decerneret (ordinis hic, non temporis rationem habemus), eam fuiſſe poſſibilem, nec ejus poſſibilitatem a decreto pendere, conſentiens Philoſophis ac Theologis eſſentias rerum neceſſarias ſtatuentibus; ſed quis ideo dixerit, eam eſſe abſolutæ neceſſitatis, niſi ſumma imis miſcens omnia confundere voluerit? Cum ſedes, poſſibile eſt, ut ſurgas, antequam ſurgis: ſed quis dixerit ideo hunc actum eſſe abſolutæ neceſſitatis, quod fuerit poſſibilis, antequam eundem decreveris? Vidimus ſuperius (§. 8.), principium contingentiæ eſſe rebus intrinſecum, nec eas demum contingentes fieri per decretum, quo cauſa libera actum earundem determinat. Etſi autem 2. largiar, res materiales eſſentiæ ſuæ convenienter agere & pati (id quod nemo Philoſophorum in dubium vocat); regulas tamen motus in materia minime fundatas eſſe atque perinde ac ſituationes corporum a neceſſitate abſoluta exemtas cum *Leibnitio* agnoſco. Atque ea ſubeſt ratio, cur principia, unde illæ a Mathematicis demonſtrantur in Coſmologia metaphyſica non a priori ex notione materiæ, ſed ex phænomenis a poſteriori derivaverim. Quamobrem rebus materialibus juxta leges motus in ſe mutabiles operantibus, ipſi quoque eventus in univerſo non ſunt immutabilis neceſſitatis. Si enim Deo, univerſi Autori, alias motus regulas præſcribere libuiſſet, alii prorſus futuri erant, iisdem manentibus re-

rerum eſſentiis, eadem permanente corporum totalium compage, eventus. Immo Vir ſummus *Newtonus* (c) principia iſta, quæ legum naturæ titulo decorat, non demonſtrat, ſed ex phænomenis agnita ſupponit. Ceterum hanc univerſi contingentiam quoad corporum compagem & rerum materialium ſituationes legesque motuum defendit quoque Theologus multa rerum ſcientia ac varia eruditione præſtans *Joannes Clarkius*, magnæ Britanniæ Regi a ſacris ordinariis (d). Nec ſane major in univerſo concipi poteſt contingentia, quam quæ a nobis defenditur, ubi & ſpatium aliis corporibus repleri, quam repletum deprehenditur, & tempus aliis prorſus eventibus diſtingvi potuit, quam in præſenti diſtingvitur, illis vel maxime iisdem manentibus. Hæc quidem cum ita ſe habeant, 3. præſentem rerum nexum, ſive corporum compagem, ſive eventus ſpectes, a liberrimo Dei decreto derivo, ita ut Numen ſapientiſſimum per meam de univerſo theoriam & ipſam rerum compagem infinitis modis variare, & in unaquaque ipſos quoque rerum eventus ad arbitrium determinare potuerit: qua ſane major ex parte objecti libertas in Deo conditore concipi nequit. Ex his ſane principiis demonſtro (e), plures mundos eſſe poſſibiles, & ex innumeris hunc a Deo liberrimo decreto (f) fuiſſe productum (g), etſi ad ceteros quoque ſeſe extendat potentia ipſius (h). Non contentus ab univerſo removiſſe abſolutam neceſſitatem ulterius progredior atque fato ſublato, ſapientiæ divinæ locum facio, fines in naturam rerum introduco & rebus perfectionem tribuo. Nimirum 4. evinco, res in univerſo cum ratione ordinatas eſſe quoad ſpatium & eventus cum ratione conſequi quoad tempus: illud obtinet, quod ſitus corporum rationem habeat ſapientia divina dignam; hoc vero accidit, quod

(c) Princip. Philoſ. Nat. Mathem. p. m. 12.
(d) Enquiry into the cauſe and origin of evil p. 90. 91. (e) §. 569. & ſeqq. Met. (f) §. 980. 984. (g) §. 1053. (h) §. 1021.

leges motus ſeu principia regularum motus per rationes eidem ſapientiæ conformes fuerint determinatæ. Atque hinc reſultat nexus rerum ſapiens, quem defendo, ad propulſandum fatum deficiente acumine adſertum. Quando enim ajo, omnia in univerſo cum reſpectu ſpatii, tum reſpectu temporis inter ſe connexa eſſe (i), id ita explico, quod unum quodque corpus contineat rationem, cur alterum ipſi contiguum ſit (k), & ſtatus præſens habeat in ſe rationem aliquam ſequentis (l), hoc eſt, in unoquoque corpore aliquid ineſſe, unde intelligi poſſit, cur alterum ipſi ſit contiguum, & in ſtatu præſenti aliquid reperiri, unde ſimiliter intelligi poſſit, cur alter ipſum ſequatur (m): quæ etiam experientiæ conſona ſunt & ſcientiam phyſicam fundant. Dum itaque oſtendo, omnia cum ſumma ratione a Deo ordinata eſſe, tollitur fortuitus rerum materialium concurſus, a *Lucretio* deſcriptus, ubi ſapientiæ nullus eſt locus, finibus exulantibus. Dum hunc nexum etiam in partibus unum corpus quantumlibet exiguum conſtituentibus agnoſco, omnibus inter ſe vi harmoniæ univerſalis pulchre conſentientibus (n), perfectioni locum in rebus materialibus facio libere iisdem a Deo tributæ (o). Dum denique eas leges motus corporibus latas propugno, ut omnes rerum eventus ſint fines per rerum eſſentias tanquam media obtinendi (p), in omni univerſo ſapientia divina dominatur, nec ullibi bruta neceſſitas, quæ fatum abſolvit, nec cum abſoluta neceſſitate confundenda, eventibus ineſt.

§. X.

Spinoſæ abſoluta & bruta ſeu fatalis neceſſitas deſcribitur.

Qui in hac idea mundi, quam nos concipimus, abſolutam neceſſitatem & fatum ſibi imaginatur, is nullam finget, quæ abſolutæ neceſſitatis ac fati expers ſit, cum etiam abſolutam neceſſitatem ac fatum adpellet, quod e diametro

(i) §. 548. (k) §. 546. (l) §. 547. (m) §. 29. Met. (n) §. 600. (o) §. 984. (p) §. 1026. & ſeqq.

tro eidem opponitur. Hæc clariora evadent, ubi *Spinoſæ* ideam de univerſo excuſſerimus. Vidimus 1. jam ſuperius (§. 7.), *Spinoſam* non admittere poſſibilia corpora mundi totalia ac partialia, nec aliam eorundem ſituationem, niſi quæ aliquando exiſtunt, & prout actu collocantur; cetera pro defectu cognitionis noſtræ habet. Atque adeo 2. rejicit receptum dogma, quod poſſibilitates ſeu eſſentiæ rerum non pendeant a decreto divino, ſed in intellectu concipi debeant antecedenter ad decretum ipſius: verum ipſas quoque perinde ac exiſtentiam a decreto Dei unice derivat, cum impoſſibile dicat, quod in eodem non habeatur ut exiſtat, quia omni cauſa cum interna, tum externa ad exiſtendum caret (§. 8.). Ea nimirum ex falſa poſſibilium notione fluunt. Eſſe autem hanc *Spinoſæ* ſententiam non modo ex ſupra explicatis notionibus generalibus concluditur; ſed ipſe diſertis verbis adſerit. *Res*, inquit, *nullo alio modo, neque ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ ſunt* (q). Negat ideo 3. apertiſſime (r), *in rerum natura ullum dari contingens, ſed omnia ex neceſſitate divinæ naturæ determinata eſſe, ad certo modo exiſtendum & operandum.* Et Deo 4. adimit libertatem eligendi affirmans (s), *omnia ex neceſſitate divinæ naturæ ſequi*, ridens eos (t) qui contendunt, *fieri poſſe, ut, quæ in Dei poteſtate ſunt, non fiant ſive ab ipſo non producantur: quod idem eſſe*, ait, *ac ſi dicerent, Deum poſſe efficere, ut ex natura trianguli non ſequatur, ejus tres angulos æquales eſſe duobus rectis, ſive ut ex data cauſa non ſequatur effectus.* Et porro (u) addit, *quicquid concipimus in Dei poteſtate eſſe, id neceſſario eſſe.* Negat 5. (x)

 rebus

(q) Ethic. part. I. prop. 33. p. 29.
(r) Loc. cit. prop. 29. p. 26.
(s) Loc. cit. prop. 16. p. 16.
(t) Loc. cit. ſchol. prop. 17. p. 17.
(u) prop. 35. p. 33.
(x) in præf. ad part. 4. Eth. p. 163.

rebus ineſſe perfectionem, *perfectionem & imperfectionem revera modos ſolum modo cogitandi eſſe, nempe notiones quas fingere ſolemus ex eo, quod ejusdem ſpeciei aut generis individua ad invicem comparamus.*

§. XI.

Differentia nexus rerum ſapientis & abſolutæ ac fatalis neceſſitatis Spinoſæ evidentiſſime monſtratur.

Quodſi jam ea, quæ de nexu rerum ſapienti, quem defendimus, in medium protulimus (§. 9.) & quæ ex *Spinoſa* de fatali rerum neceſſitate excerpta dedimus (§. 10.) una cum noſtris ac *Spinoſæ* principiis, quibus iſta innituntur, ſupra (§. 7. & 8.) evolutis, inter ſe conferre volueris; videbis me & *Spinoſam* tum quoad principia, tum quoad concluſionem in terminis contradictoriis hærere: me recepta Theologorum principia & dogmata tueri, contraria vero a *Spinoſa* propugnari. Etenim 1. mihi poſſibile eſt, quod nullam involuit contradictionem, ſive a Deo decretum fuerit, ut exiſtat, ſive non; *Spinoſa* vero pro poſſibili non agnoſcit, niſi quod in decreto divino habetur, ut exiſtat, cetera, quæ a nobis una in poſſibilium numerum referuntur, pro defectu cognitionis habet. Ego 2. affirmo, multa fieri poſſe, quæ nunquam fiunt; negat id *Spinoſa*. Mihi 3. contingens eſt, cujus oppoſitum poſſibile deprehenditur, ſeu quod aliter ſe habere poſſe concipitur; *Spinoſa* hanc contingentium notionem rejicit, nec talia exiſtere, quorum oppoſitum perinde exiſtere poterat, largitur, tanquam pro aris & focis pugnans affirmat, quod exiſtit, ejus contrarium perinde exiſtere non poſſe. Ego 4. doceo plures mundos eſſe poſſibiles & ex iis Deum liberrime elegiſſe, quem produxit, nulla ſane neceſſitate extrinſeca, nulla intrinſeca adductum; *Spinoſa* non concedit alium mundum poſſibilem, niſi qui exiſtit, atque hunc ex eſſentia Dei neceſſario fluere, atque a Deo neceſſario fuiſſe productum. Ego 5. cum Theologis omnium trium per leges imperii in eodem ſtabilitarum religionum poſſibilitatem rerum a decreto divino eximo, rerum eſſentias neceſſarias antecedenter ad illud ab intellectu

lectu divino derivo; *Spinoſa* radicem poſſibilitatis in voluntate divina quærit & rerum eſſentias ab ejus decreto derivat. Ego 6. potentiam Dei ad ea etiam extendo, quæ nunquam exiſtunt, modo non ſint contradictoria ſeu abſolute impoſſibilia; *Spinoſa* eandem ad ea tantum reſtringit, quæ fiunt. Ego 7. rebus perfectionem tribuo; *Spinoſa* eandem aufert. Ego 8. ſapieniæ in univerſo locum facio; *Spinoſa* ejus in locum fatum ſurrogat. Ego 9. fines in rerum natura conſidero; *Spinoſa* iis nullum in univerſo locum concedit. Ego 10. leges motus in natura corporum minime fundatas agnoſco, ſed a ſapientia Dei derivo; *Spinoſa* alias a Deo fieri non potuiſſe tuetur, easque in ſe immutabiles agnoſcit. Quodſi hoc diſcrimen non ſufficit, ut nexus rerum ſapiens diverſus habeatur ab abſoluta & fatali neceſſitate *Spinoſæ*, adfirmandum utique erit, nullam res inter differentiam intercedere, ſed omnes eſſe easdem.

§. XII.

De neceſſitate eſſentiarum notanda.

Dixi Theologos omnium trium per leges imperii in eodem ſtabilitarum religionum rerum eſſentias ſeu poſſibilitates ab exiſtentia præciſas non a voluntate Dei libera, ſed ab intellectu ipſius antecedenter ad decretum derivare easque neceſſarias eſſe defendere: quis enim dixerit, quod poſſibile eſt, idem ſimul impoſſibile eſſe poſſe? Etſi autem aſſertum manifeſtum ſit penes omnes, qui hiſtorica rerum cognitione non deſtituuntur: ne tamen minus vere aliquid adſeruiſſe videar illis, qui notione eſſentiarum arbitrariarum imbuti hiſtoriam dogmatis de neceſſitate eſſentiarum aut ignorant, aut ab aliis ignorari mallent; eorum in gratiam illud comprobatum dabo. Philoſophos Scholaſticos, quorum adhuc veſtigia legunt eccleſiæ Romanæ Doctores, eſſentias rerum neceſſarias, æternas & immutabiles ſtatuere, libri ipſorum metaphyſici palam loquuntur. Et nota eſt controverſia, quæ inter *Thomiſtas* & *Scotiſtas* agitatur, an eſſentiæ rerum habeant eſſe

eſſe reale & actuale ab æterno : cum enim in virtuali & cognito omnes conſentiant, illius cum omnipotentia, hujus cum omniſcientia nexum abunde perſpicientes, in reali tantum & actuali diſſentiunt, illis affirmativam, his negativam defendentibus. Et *Thomiſtæ* quidem ex neceſſitate & immutabilitate realitatem & actualitatem inferunt, contra quam illationem diſputant *Joannes du Hamel*, Doctor Sorbonicus & in Academia Pariſienſi Profeſſor (y), & *Joannes Gabriel Boivin*, in Provincia Franco-Pariſina ſtrictioris obſervantiæ & apud Fratres Minores Virienſes Profeſſor (z). Immo nec præſtantiſſimis eccleſiæ patribus infenſa fuit neceſſitas, æternitas & immutabilitas eſſentiarum, ad quas Deus decreturus exiſtentiam rerum reſpexit & quæ termino *Platonis* earum *ideæ* appellantur. Sufficiat in præſenti teſtem appellaſſe D. *Auguſtinum*, qui (a), *Ideæ ſunt*, inquit, *principales quædam formæ vel rationes rerum, ſtabiles atque immutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ ac ſemper eodem modo ſe habentes, quæ in divina INTELLIGENTIA continentur. Et cum ipſæ non oriantur, nec intereant, ſecundum eos tamen formari dicitur omne, quod oriri & interire poteſt. Quod ſi hæ rerum creandarum creaturarumve rationes continentur in mente divina, quidquam niſi æternum & incommutabile non poteſt eſſe. Quæ rationes non ſolum ſunt ideæ, ſed ipſæ veræ ſunt, quia æternæ ſunt & ejusmodi atque incommutabiles manent. Quarum participatione fit, ubi ſit, quicquid & quomodo eſt.* Neque videtur mihi D. *Thomas* realitatem & actualitatem eſſentiarum ab æterno defendens aliquid a D. *Auguſtini* ſententia diverſum ſtatuiſſe, quam quod ideæ ſingularum extiterint ab æterno in intellectu divino, & ita ſingulæ habe-

(y) In Philoſophia Univerſ. Tom 3. p. 32. & ſeqq.
(z) Philoſophia Scoti. Part. 2. Metaphyſ. part. 1. c. 3. quæſt. 3. p. 54. & ſeqq.
(a) Lib. octoginta trium quæſtion. quæſt. 46.

habeant eſſe quoddam reale atque actuale in intellectu divino. Sed quicquid ejus rei ſit, ad ſcopum noſtrum illius controverſiæ deciſio nullum adfert momentum. Noſtros doctrinam de eſſentiis rerum æternis & neceſſariis retinuiſſe & ita explicaſſe, quod ab æterno nullam involvant contradictionem; nemo ignorat, qui curſum ſtudiorum academicorum emenſus eſt. Si quis ea de re dubitet, is evolvat celebris nuper Theologi Lipſienſis, *Johannis Adami Scherzeri* Manuale philoſophicum (b) aut alium libellum metaphyſicum. Nec eſſe hodienum inter Reformatos, qui idem ſentiant, ex viri clariſſimi, *Abrahami Pungeleri*, Theologiæ & Hiſtoriæ ſacræ in Lyceo Herbornenſi Profeſſoris, diſſertatione de rerum poſſibilium ideis in Deo liquet, quam *Poireto* oppoſuit Scholaſticis inſultanti & eſſentias rerum arbitrarias, hoc eſt, realitatem ſuam ex libero Dei placito mutuantes defendenti. Explicat ibidem vir doctus perinde ac nos *poſſibile* per id, quod contradictionem non involvit (c) & negans, poſſibilitatis & cognitionis omnium poſſibilium radicem & fundamentum eſſe Dei decretum, quo & futura voluit & novit, multis argumentis defendit (d), Deum poſſibilia vi naturæ & ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ cognoſcere, atque rerum poſſibilium ideas eidem naturales eſſe, profligatis tandem *Poireti* argumentis contrariis. Vocant Theologi ſcientiam naturalem, qua Deus ab æterno ante omne liberum decretum voluntatis cognovit res omnes poſſibiles. Ita ex *Becani* Theologia Scholaſtica *Gerhardus* noſter (e). Immo addit idem de ſuo, *ſcientiam Dei neceſſariam* ſive *naturalem* (hæc enim ſynonyma eſſe quis ignorat?) *præcedere omnem liberum divinæ voluntatis actum.* Ceterum notatu dignum eſt, quod idem

(b) Part. 3. Tit. 1. Reg. 6. p. 11.
(c) c. 1. p. 7. & ſeqq.
(d) c. 2. p. 14. & ſeqq.
(e) In locis Theolog. loc. 2. f. 314.

Gerhardus admirabundus quaſi reprehendat *Scotum*, quod modum definiturus, quo fieri poſſit, ut Deus futura contingentia præſciat, affirmet, *voluntatem divinam prius determinare contingentia, antequam illa intellectus divinus intelligat.* Cum autem in neceſſitate & æternitate eſſentiarum cum *Auguſtino* & Theologis per leges imperii autoritatem conſecutis conſentiam; quæ inde petitur adverſus meum ſyſtema objectio non me ſolum ferit, ſed etiam illos in univerſum omnes, cumque per easdem imperii leges a crimine abſit ea profiteri, non opus erat, ut in gratiam eorum, qui cum *Poireto* & aliis eſſentiarum arbitrariarum defenſoribus a recepta doctrina diſcedunt ac cum *Spinoſa* poſſibilitatem a voluntate divina arceſſunt, illam diluerem. Faciam tamen ex ſuperabundanti, ne in poſſeſſione veritatis prætenſa confidere videar, qui non in autoritate, ſed in rationibus robur omne collocare ſoleo. Sunt nimirum, qui, eſſentiarum neceſſitate ac immutabilitate admiſſa, imaginantur quaſi Deo ſic omnis in creando adimeretur libertas. Ajunt enim, ſi tota iſta poſſibilium ſeries, quæ univerſum præſens conſtituit, poſſibilitatem habuit independenter a decreto divino, nec Deus per illud quicquam in ea immutare potuit, evidens omnino eſſe, quod Deus mundum non condere potuerit, prout ipſi volupe fuerit, ſed prout idea immutabilis requiſivit. Et, ſi vel maxime concedatur, quod plures iſtiusmodi rerum poſſibilium ſeries fuerint, ex quibus Deus eam libere eligere potuerit, quæcunque ipſi maxime arriſit; hac ratione tamen difficultatem non tolli, cum quælibet ſeries in ſe ſit abſolute neceſſaria, conſequenter Deus ſemper producat mundum fatalis neceſſitatis, quamcunque tandem ſeriem elegerit. Qui hoc dubium urget, ſui ipſius obliviſcitur. Eodem enim jure, quo hic in univerſo fatalem neceſſitatem urget, in omnibus ejus actionibus fatalis & abſoluta neceſſitas locum habere dicenda erit. Ponamus enim, te ſtantem alium eligere

gere debere corporis ſitum, vel motum. Plures ſane æque poſſibiles ſunt: potes enim ſedere, potes cubare, pores ambulare, ſaltare, tripudiare &c. Poſſibilitas horum motuum & ſituum non pendet a decreto tuo, ſed a corporis tui ſtructura & natura. Poſſibilis eſt ſaltatio, etiamſi non ſaltabis; poſſibilis eſt ambulatio, etiamſi non ambulabis, & ita porro. Immo niſi per ſtructuram & naturam corporis fieri poſſet, ut ſaltares, ut ambulares &c. nihil te juvaret decretum tuum. Decerne, ſi velis, volatum: num ideo volabis? Quodſi ſaltare decernas, num alia ratione ſaltare potes, quam fert corporis conditio? Nihil profecto in poſſibilitate ſaltus mutare tibi integrum: non aliter ad actum deducitur, quam ut ante eundem ab intelligente fieri poſſe concipitur. An igitur dicendum, quia poſſibile fuit ut ſaltares, antequam ſaltationem decerneres, &, ubi eam decernis, non alia ratione ſaltare potes, quam qua poſſibile fuit, ideo ſaltationem non eſſe amplius actum liberum, ſed fatalem & abſolutam neceſſitatem involvere? Vides non valere conſequentiam: ſi quod eligitur fuit poſſibile, antequam eligeretur, nec eligens, quod elegit, aliter ad actum deducere valet, quam quomodo poſſibile, illud ideo abſoluta ac fatali neceſſitate gaudet, nec eligens in actione ſua liber dicendus. Hæc enim eſt propoſitio generalis, ſub qua objectio contra libertatem Numinis in creatione univerſi & altera ipſi ſimilis contra libertatem noſtrarum actionum continetur. Sed reddenda mihi quoque eſt ratio, cur conſequentia iſta non valeat. Si nimirum valere deberet, aut admittendum foret, Deum poſſe facere impoſſibilia, quod abſonum; aut concedendum, eundem ſimul poſſe aliquid decernere & non decernere, nimirum in executione mutare decretum, quod non minus repugnat, neque enim in Deo concipi poteſt ratio, cur aut pœniteret decreti, aut in executione corrigeret ac emendaret, quæ in melius mutari poſſent. Hæc in hominibus locum habent ob ſcientiæ ac potentiæ defectum:

nequaquam vero in Deo, qui vi omniſcientiæ omnia adæquate cognoſcit, & vi omnipotentiæ exiſtentiam largiri valet omni poſſibili ſeu contradictionis neſcio. Quodſi etiam libertatis notionem expendamus, ſatis ſuperque conſtabit, eam non requirere, ut agens impoſſibilia efficere poſſit, nec in ejus præjudicium vergere illius, quod eligitur, cognitionem diſtinctam, immo adæquatam. Libertas nimirum Dei decernentis in eo ſeſe exerit, quod ex innumeris poſſibilibus citra omnem coactionem externam, vel internam elegerit, quæ ſapientiæ ſuæ infinitæ conformia judicavit, ut ſcilicet prodiret univerſum, quod eſſet ſpeculum perfectionum divinarum: quæ in meo de finibus rerum Tractatu fuſius perſequor. Egit propter finem, dum condidit univerſum & ex omnibus, quæ fieri poterant, rerum poſſibilium combinationibus eam ſelegit, qua eundem optima ratione conſequitur. Quis vero dixerit, agentem non eſſe liberum, propterea quod eligit media, quæ ad finem ducere poſſunt, & in executione ab iisdem plane non deviat? Etſi autem in meditationibus meis metaphyſicis (f) exinde Numinis divini libertatem demonſtrem, quod ipſum expers omnis coactionis externæ atque internæ ex pluribus mundis poſſibilibus elegerit fini, quem intendit, conſequendo præ ceteris aptum; haud quaquam tamen ideo libertatem divinam in hac electione ſola totam conſiſtere ſtatuo. Omnis actus liber præbet argumentum, quo libertatem agentis demonſtrare poſſis; ſed non ideo, qui hoc argumento utitur, omnem agentis libertatem ad hunc actum ſolum reſtringere dicendus eſt. Simili prorſus ratione ex quovis animalis motu arguitur ipſum vivere; ſed dum hoc facis, quis jure dixerit, te ſtatuere, quod vita animalis in illo unico motu conſiſtat, quem obſervaſti & unde ipſum vivere collegiſti?

§. XIII.

(f) §. 980.

§. XIII.

Quemadmodum poſſibilitatem rerum ab intellectu Dei, ita exiſtentiam ab ejus voluntate derivo, ſtatuens nihil ex regione poſſibilium in numerum actualium transferri niſi per decretum divinum (g). Cum vero illud ipſum ſit immutabile, fieri non poteſt, ut non contingat, quod Deus ut eveniat decrevit, nec poſſe fieri ut contingat, quod ut eveniat, Deus non decrevit (h). Oſtendi autem decretum divinum in rebus nihil immutare, ſed eas relinquere, prout in ſtatu poſſibilitatis deprehenduntur, neceſſarias nempe, quæ neceſſariæ ſunt, contingentes, quæ contingentes ſunt, liberas, quæ liberæ ſunt (i): atque adeo vi decreti ejusdem quædam a DEO tantum permitti, ut a creatura, præſertim libera, fiant, quod ea ad fines ſuos vi ſapientiæ dirigere poſſit (k). Quoniam Dei, qui falli nequit, dum futuros intuetur rerum eventus, decretum immutabile non fert, ut quicquam eidem contrarium contingat; omnes rerum eventus certos eſſe adfirmo, ſeu, ut alii loqui malunt, hypothetice neceſſarios, atque adeo in iſtis hypotheticam neceſſitatem admitto, nequaquam vero abſolutam ſeu geometricam, nempe neceſſarium nunc eſt hæc talia evenire, propterea quod Deus his eſſentiis exiſtentiam impertiri & corporibus has leges motus præſcribere immutabili conſilio decrevit. Qui ſic univerſalem fatalitatem in eventus rerum introduci arbitrantur, recte ſentientium judicio multum falluntur. Etſi enim *Spinoſa*, fatalis neceſſitatis acerrimus propugnator, quoque aſſerat, *ſi in decreto divino ſit, ut res aliqua exiſtat, eam neceſſario exiſtere; ſin minus, impoſſibile ut exiſtat* (§. 8.): non tamen ideo abſolutam neceſſitatem & fatum tuetur, quod rerum exiſtentia a decreto divino pendeat, ſed quod idem decretum neceſſarium abſolute ſtatuat & ab eodem quoque eſſentiam rerum derivet.

Num decretum Dei eventibus rerum neceſſitatem inferat.

(g) §. 988. Met. (h) §. 999. (i) §. 970. 994. (k) §. 1058. & ſeq.

Deus, inquit, *non operatur ex libertate voluntatis* (l), *nec res ullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ ſunt* (m). En decreti neceſſitatem! Quod vero poſſibile non admittat, niſi quod in decreto habetur, ut exiſtat, ſuperius jam docuimus (§. 8.). Qui rerum eſſentias, ſeu poſſibilitates ab exiſtentia præciſas, a voluntate Dei arceſſunt, illi ex parte cum *Spinoſa* ſentiunt: nos vero nihil cum ipſo commune habemus, quin potius cum Theologis conſentimus, quorum per decreta imperii ſtat autoritas. Videamus ſaltem, quomodo dogmata noſtra cum iis conveniant, quæ a Theologis Auguſtanæ Confeſſioni addictis defenduntur. Sumamus exemplum eventus contingentis, nempe terminum vitæ. De eo ſcribit *Bechmannus*, celebris quondam Jenenſium Theologus, qui eam potiſſimum laudem conſecutus, quod dogmata theologica clare ac perſpicue exponere valuerit (n): *Deus decrevit eum non decreto abſoluto & immutabili, ſed ſecundum cujuslibet hominis naturam & temperamentum. Sicut enim Deus ab æterno novit, quæ cujusque hominis ſit natura, quale temperamentum ſit habiturus, quamdiu duraturus ſit, ſi ſecundum ſe & cum cauſis ſecundis ſpectetur; ita decrevit modo ordinario concurſum præbere usque ad terminum naturaliter definitum, ſive quem ſecundum naturam homo aſſequi poteſt. -- Studio dico: ſi ſecundum ſe ſpectetur: nam ſi Deus prævidit cauſas quasdam peculiares, quæ impedimentum objecturæ ſint huic termino, quo minus homo eum attingere poſſit, Deus alium definit terminum, intuitu talis impedimenti. E.gr. ſi homo ratione naturæ & temperamenti ſecundum ſe potuiſſet attingere annum quinquageſimum, Deus autem prævidit, hominem vitæ intemperantia ſibi acceleraturum eſſe mortem ante annum quinquageſimum, v.g. anno trigeſimo, Deus intuitu intemperan-*

(l) Ethic. part. 1. prop. 32. cor. 1 p. 29.
(m) loc. cit. prop. 33. p. 29. (n) in Annotat. ad Compend. Hutteri loc. 8. quæſt. 2. §. 9. 200. 201.

rantiæ conſtituit ipſi hunc terminum, ut v. g. anno trigeſimo moriatur. Mox addit: *Terminus vitæ neceſſarius eſt, non tamen abſoluta, ſed tantum hypothetica neceſſitate. Poſito enim, Deum exactiſſime præſciviſſe naturam & temperamentum hominis, quamdiu duraturum ſit, nullasque prævidiſſe cauſas vitam ante hunc terminum abbreviaturas, decreviſſe etiam ordinaria providentia & de lege communi concurſum prebere, neceſſe omnino eſt, vitæ terminum futurum eſſe eo modo, quo Deus præſcivit, alias præſcientia Dei infallibilis non eſſet. Hæc vero eſt neceſſitas tantum hypothetica.* Terminus vitæ inter rerum eventus refertur & Deus dicitur eum decreviſſe. In decernendo eundem reſpexiſſe ad ideam poſſibilitatis in intellectu antecedenter ad decretum exiſtentem, nec eum aliter definitum, quam eundem Deus poſſibilem agnovit. Decretum adeo non extenditur ad poſſibilitatem conſequendi hunc terminum, ſed ad exiſtentiam tantum refertur ejus, quod ante decretum erat poſſibile. Dicitur præterea Deus in definiendo hoc termino hominem non conſideraſſe abſolute tantummodo, ſed etiam in ordine ad nexum rerum ſive in relatione ad cauſas ſecundas. Atque eventui huic ineſſe neceſſitatem hypotheticam, tum in natura rerum, tum in decreto divino fundatam, quatenus vi hujus Deus rebus per ſe tantum poſſibilibus exiſtentiam largitur. Nimirum vi naturæ rerum terminus vitæ erat ſic, non aliter poſſibilis, & vi decreti divini certo extiturus erat, Deo per concurſum ordinarium rebus exiſtentiam impertiente. Atque ita vides, omniſcientiam Dei pariter ac ipſius decretum res tantum extrinſece afficere, nec quicquam in ipſis immutare, quemadmodum a me contenditur. Et idem quoque fatetur *Bechmannus.* Etenim *præſcientia*, inquit (o), *Dei rebus abſolutam neceſſitatem non tribuit - - Neceſſe eſt neceſſitate hypothetica, ea eſſe futura, cum infallibilis ſit DEI præ-*

(o) loc. cit. loc. 2. quæſt. 2. §. 14. p. 61.

præſcientia. Neceſſitas autem hypothetica ſimul cum contingentia rerum conſiſtit. Item: *Decretum Dei non tollit contingentiam.* Sed nec in eo a receptis Theologorum dogmatis recedo, quod Deum omnia unico decreto ſtatuiſſe adfirmem. *Una ac ſimplici volitione Deus vult*, inquit B. *Gerhardus, quæcunque decernit ac facit, non multis realiter* (p) *diſtinctis voluntatis ſuæ actibus.* Audi etiam *Burmannum*, celebrem eccleſiæ Reformatæ doctorem (q): *Conſilium Dei unicum tantum eſt.* Quænam ſubeſt ratio? Addit eandem verbis ſequentibus: *Non enim longæ deliberationum moræ, ſecundæ ac meliores curæ ac pœnitudines in Deum cadunt, neque rerum momenta denique ac occaſiones ſpeculatur atque ex iis pendet.* Novi equidem Socinianos, cum præſcientiam divinam negent non capientes, quomodo cum eadem contingentia & libertas actionum humanarum conſiſtere poſſit, circa hominem & res ſingulares temporaria admittere decreta. Enimvero quid ad me Socinianorum errores? Quis eos normas conſtituit philoſophandi? Eſto ita, quod nonnullis acute philoſophari videantur: ego aliter ſentio. Mihi nunquam ſeſe probavit ipſorum philoſophia. Quodſi vero conceſſeris, quicquid decrevit DEus, ipſum ab æterno decreviſſe, non ſane video cur multi realiter diſtincti voluntatis actus ſint admittendi.

§. XIV.

An contingentia mundi a nobis adſerta ſit veri nominis contingentia.

Sunt qui ſibi perſuadent, contingentia a nobis adſerta non eſſe veri nominis contingentia. Neque enim ſufficere, quod alia forent, ſi Deus aliam mundi compagem produxiſſet, aliasque leges motus corporibus tuliſſet. Contingentia proprie ſic dicta eſſe, quæ a cauſa libera pendeant, nec mechaniſmi legibus ſubjaceant, ſed pro libero cauſæ efficientis arbitrio poſſint fieri aut non fieri, & hoc aut iſto modo fieri. Ego defendo, contingentia quoad exi-

(p) Loc. 2. §. 152. f. 281.
(q) in Synopſi Theolog. lib. 1. c. 37. §. 20. p. 239. 240.

exiſtentiam a cauſa libera pendere, non quoad eſſentiam, ſed talia eſſe, etiamſi cauſa libera de exiſtentia eorum nunquam cogitet. Si ergo mea contingentia non ſunt contingentia veri nominis, neceſſe eſt ut, qui hæc ſtatuit, eadem quoad eſſentiam a cauſa libera pendere arbitretur. Erit itaque aliquid contingens ideo, quod pro libero cauſæ efficientis arbitrio fieri poſſit aut non fieri, & hoc aut iſto modo fieri. Ergo contingentia & abſolute neceſſaria non habent principium intrinſecum, quo differunt, conſequenter in ſe prorſus non differunt. Ego potius dixerim, a cauſa libera aliquid poſſe fieri hoc, vel iſto modo, quia contingens eſt. Nec video, quid contingentiæ obſit, ut aliquid legibus mechaniſmi ſubjaceat. Nonne ambulatio in numero contingentium habetur? Quidni? Homo enim poteſt ambulare & non ambulare, hoc eſt, vel ſedere, vel ſtare, vel ſaltare &c. Sed quis dixerit, mechaniſmi legibus non teneri ambulantem? Num quis aliter ambulare valet, quam fert ſtructura corporis, ac per Staticæ ac Mechanicæ regulas integrum? Mirum dictu! Erit ergo actus ambulandi minime contingens, quod pedes non longiori intervallo a ſe invicem dimovere poſſis, quam fert eorum longitudo. Si hæc videntur abſona: dicendum eſt, definitionem intelligendam eſſe de exiſtentia, non de eſſentia ſeu poſſibilitate ab exiſtentia præciſa, hoc eſt, eundum in meam ſententiam. Sed tunc non capio, quid ſibi velint hæc verba: *hoc aut iſto modo fieri.* Modus enim, quo aliquid fit, ad poſſibilitatem pertinet, non ad exiſtentiam. Pendent quoque juxta me contingentia quoad exiſtentiam a cauſa libera: atque ideo a contingentia univerſi quoad exiſtentiam ad cauſæ liberæ, Dei nempe, exiſtentiam argumentatus fui (§. 3.). Mechaniſmus vero tantum abeſt, ut contingentiæ obſit, ut potius ejusdem fons ſit. Etenim vi ſtructuræ mechanicæ corporis humani & vi regularum Statices ac Mechanicæ varii ejus ſitus atque motus poſſibiles ſunt, atque

adeo nullus eorum corpori abſolute neceſſarius. Nihil vero ad hoc confert mentis liberum arbitrium, quo tantum determinatur exiſtentia ejus, quod poſſibile vi mechaniſmi. Contingens adeo qua tale a mechaniſmo pendere poteſt, etſi a cauſa libera ad exiſtendum determinetur. Quodſi urgeas vi harmoniæ præſtabilitæ actiones humanas e contingentium numero eximi; mihi quidem id non videtur: neque videtur aliis, qui hoc ſyſtema intelligunt, etſi idem non amplectantur. Sed de eo diſpiciemus infra ſuo loco. Neque enim hic nobis ſermo eſt de contingentibus in relatione ad hominem, ſed potius in relatione ad DEum, cujus gratia univerſi corporei contemplatio inſtituitur, ut exinde Dei exiſtentia demonſtretur, quam ex mundi in ſe contingentis exiſtentia deducimus (§. 3.). Quamvis autem vel maxime verum eſſet, quod tamen toto cœlo a veritate diſtare infra monſtraturi ſumus, cum ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ actionum humanarum contingentiam ſubſiſtere non poſſe; haud tamen ideo dici poterat, contingentia a me definita non eſſe contingentia veri nominis, nec me in univerſo admittere vera contingentia, ſed cum *Spinoſa* abſolutam ac fatalem neceſſitatem defendere, cum notio contingentiæ a me ſtabilita eadem ſit, quam, improbante *Spinoſa*, animo conceperunt Philoſophi ac Theologi, quotquot a fatali neceſſitate fuerunt alieni, atque ex ea notione contingentiam totius univerſi omniumque eorum eventuum, qui a cauſis mechanicis pendent, demonſtravi. Quodſi quis opinetur, hac contingentia admiſſa, corruere contingentiam eorum, quæ a cauſa agendi libera in univerſo jam conſtituto, v. gr. ab homine, dependent, immo negandum eſſe ipſam Dei hominumque libertatem ac providentiam, atque hanc conſequentiam tanta evidentia gaudere, ut probatione non indigeat; cum de legitima conſequentia ſermo ſit ex Logicæ regulis dijudicanda, breviter reſpondeo: Fiat ſyllogiſmus. Probetur major, probetur minor. Fa-

Faciamus ejus rei periculum, ut, quæ illationi inſit evidentia, adpareat.

Quodcunque ens produxit mundum ex iſtiusmodi corporibus, quorum loco alia producere poterat, eaque hoc modo inter ſe locavit, cum multis aliis locare poſſet, immo leges motus præſcripſit, in ſtructuris corporum & notione materiæ in genere minime fundatas, cum alios præſcribere poſſet; illud non eſt liberum. Atqui Deus &c. Ergo &c.

Paucos fore puto, qui ſinceritate uſi majorem concedent. Eodem modo ſe res habet, ſi inde homini libertatem denegare, aut providentiam divinam tollere volueris. Quodſi excipias, eventus rerum materialium in univerſo eſſe neceſſarios, & quidem abſolute (hypothetica enim neceſſitas, conſentientibus Theologis (§. 13.) contingentiam non tollit) quoad mundi partem materialem cum *Spinoſa* facis & fatalem neceſſitatem introducis, Dei in creando libertatem limitas eamque ad ſolam exiſtentiam reſtringis, ut cetera taceam, quæ inde prono alveo fluunt, ne conſequentiis pugnare videar, quod a moribus hominis æqui atque ingenui alienum. Si porro inſtas, vocare eventus rerum in univerſo ideo contingentes, quod univerſi machina aliter conſtitui aliisque legibus regi potuerit, idem eſſe ac ſeriem motuum mechanicam, quæ in horologio ſit neceſſaria, ideo vocare contingentem, quia horologium potuerit aliter conſtrui & ex alia conſtructione alium motuum ordinem habere: me non invitum habebis, nec quenquam alium, qui ex notionibus judicat, ſiquidem abſolute neceſſarium non fuit, ut hæc motuum ſeries exiſteret. Dicuntur hi motus neceſſarii in oppoſitione ad libertatem & reſpectu eſſentiæ, non autem reſpectu exiſtentiæ. Horologium non libere agit, ſed ex neceſſitate eſſentiæ, ac naturæ, hoc eſt, ſtructuræ ſuæ ac legibus motuum convenienter, atque ad hunc agendi modum per eſſentiam & naturam determinatum libertatis expers eſt,

cum non locus ſit principio, quo agens ſeipſum determinet, ubi jam ad agendum ſufficienter determinatum: his tamen non obſtantibus, contingenter agit, cum enim exiſtentia ejus ſit contingens, omnes quoque ipſius motus contingenter exiſtunt, non neceſſario, niſi quod ob neceſſitatem ſic, nec aliter agendi, hypothetica neceſſitas adſit. Immo ſimile hoc egregie præſens negotium illuſtrat & falſitatem conſequentiarum modo memoratarum evidentiſſime illuſtrat. Compone nimirum horologium cum mundo, rotas aliasque, quibus conſtat, partes cum corporibus totalibus, artificem cum DEO & omnia erunt manifeſta. Quemadmodum itaque hoc horologium ideo non neceſſario exiſtit, quod ejus loco artifex aliud ab eo diverſum producere poterat, ſimiliter quoque hoc univerſum ideo non neceſſario exiſtere intelligitur, quod ejus loco aliud a Deo produci poterat. Porro quemadmodum artifici non impoſſibile in ſtructura horologii quædam immutare, quando ipſi viſum fuerit, propterea quod alia ſtructura in multis cum ea conveniens, in paucis quibusdam differens æque poſſibilis; ita quoque Deo non impoſſibile in mundi fabrica, ſiquidem ipſi viſum fuerit, quædam immutare, propterea quod alia mundi ſtructura in plurimis cum præſenti conveniens, in pauciſſimis quibusdam differens æque poſſibilis. Quemadmodum artifex, ſtructura horologii ſalva, motum vel indicis, vel alterius partis, ſiquidem viſum fuerit, mutare valet, propterea quod is equidem ſtructuræ horologii convenienter fiat, haud quaquam tamen neceſſario ex ejus ſtructura ſequitur; ita DEus, ſtructura univerſi atque corporum partialium ſalva, ſiquidem viſum fuerit, motus quosdam mutare valet, propterea quod ii ſtructuræ quidem univerſi ac corporum convenienter accidunt, haud quaquam tamen per eam ſolam determinantur. Apparet itaque contingentiam univerſi a me adſertam idem non ſubducere cauſæ liberæ, quin potius ex ea demonſtrativa quadam ratione ſequi, quod

quod cauſæ liberæ poteſtati relinquatur. Hæc adeo manifeſta ſunt, ut, niſi adſit cauſa, quæ impediat, ne verum cernatur, nullus ea in re ſcrupulus ſupereſſe poſſit. Facillimo negotio eodem ſimili miraculorum effectum ac indolem illuſtrare poteram; ſed cum id jam fecerimus in ipſis meditationibus metaphyſicis, iis repetendis ſuperſedemus. Quodſi jam ulterius quæſiveris, num aliquando conſultum videatur DEO quicquam vel in ſtructura totius univerſi, vel in ſtructura corporum mundi partialium, vel in motu ſive totalium, ſive partialium per concurſum extraordinarium ſeu diverſum ab eo, quo res in eſſendo & operando conſtanter conſervantur, immutare, ea alterius generis quæſtio eſt, quæ non ex contingentiæ notione, ſed aliunde decidenda. Poteſt autem illud fieri, poteſt non fieri, ſalva contingentia: neque enim contingentia univerſi ab hac mutatione actuali, ſed hujus potius poſſibilitas ab illa pendet.

§. XV.

Quod quæſtionem hanc attinet, num DEus aliquando quidpiam in ſtructura univerſi immutet, aut motus quosdam corrigat, eam in meditationibus meis metaphyſicis non attigi, cum in Coſmologia metaphyſica in iis acquieverim, quæ ad demonſtrandam Numinis exiſtentiam & ejus attributa ſufficiunt. Iſta vero quæſtio ex attributis divinis potius decidenda, tantum abeſt, ut ipſa ad eadem demonſtranda quidpiam conferat. Unde porro patet, quod ne quidem commode ibidem decidi potuerit, quoniam juxta leges bonæ methodi ad attributa divina nondum provocare licet, ubi eadem nondum fuerunt demonſtrata. Quodſi urgeas, correctionem iſtam a poſteriori demonſtrari poſſe; lubens fateor, nullum mihi ſuppetere exemplum, quo probari poſſit. Si cui quædam in promptu ſint, quæ huc facere ipſi videntur, ut eadem communicet rogo certiſſime perſuaſus, me non ex præcipitantia de iis judicaturum, ſed ipſa potius rigoroſo exa-

Num machinam ſuam ſubinde corrigat Deus & num præ-determinatio tollat providentiam ſpecialem.

mini ſubmiſſurum. Neque enim ego præjudicio alicujus hypotheſeos teneor: mihi quidem perinde eſt, quod verum ſit, modo tale eſſe demonſtretur, ut intellectus ad aſſenſum cogatur. Si quis arbitretur, ex ſacris litteris machinæ mundanæ correctiones probari poſſe; ſilentium meum tanto æquiori animo feret, quod ex rationis principiis aut experientia demonſtrare non aggreſſus ſim, quæ fide tenenda in Theologia, non in Philoſophia doceri debent. Qui quæſtionem aliquam non attingit, non ideo dicendus eſt rem negare &, ſi vel maxime neget, quod fiat, propterea non pro impoſſibili eandem habet. Quo jure autem reprehendi poſſit, ſi poſſibilitatem ipſe oſtenderit, de eo judicent alii. Ego nullibi profeſſus ſum, quod Deus machinam ſuam ſubinde corrigat, ſed quod poſſit, ſi velit, quædam immutare, oſtendi (§. 4.). Quod ſi autem confiteri jubeor, quæ mihi ea de re verior videatur ſententia, negativam amplecti religioni non duco. Quæ enim ſubeſt ratio, cur artifex quædam in ſtructura horologii emendet, aut alius quicunque vi externa indicem dirigat? Non alia profecto, quam quod experientia docetur, ſtructuram horologii nondum eſſe adeo perfectam, ut per eam finem intentum conſequatur, nempe ut horologium exacte indicet temporis labentis momenta. Quodſi ergo prævidiſſet, horologium, quod parat, ſucceſſu temporis defecturum, nullum quidem eſt dubium, quin ſtatim eam ejus feciſſet ſtructuram, quæ, errore per experientiam cognito, per emendationem prodit. Si autem agnoviſſet, horologium adeo perfectum conſtrui non poſſe, quod absque aberratione per omne tempus, quo movetur, temporis momentum indicare poſſit; tum quidem ſciens indicis directionem motori externo reliquiſſet. Quoniam Deus rebus in univerſo ſingulis præfixit fines iisque ſtructuras convenientes dedit, regulis quoque motus præſcriptis ad eos conſequendos idoneis; mihi quidem totum univerſum ita conſtruxiſſe videtur,

ut

ut ſine emendatione ac ſine extraordinaria directione unumquodque finem ſibi præſcriptum conſequatur. Aut enim DEus hæc facere potuit, aut non. Si potuit facere, fecit: neque enim ulla ſuadet ratio, cur ſtatuamus, DEum mundum ita effeciſſe, ut emendatione opus habeat ac extraordinario concurſu, cum tanta perfectione condere poſſet, ut ſine emendatione & extraordinaria directione finibus a ſe intentis ſatisfaceret. Suadet potius contrarium finis totius univerſi primarius in demonſtranda gloria divina conſiſtens. Rectius enim agnoſcitur omniſcientia, ſapientia, potentia & bonitas divina, ſi operi ſuo omnem perfectionem dedit, quem a fine requiſitam dare poterat, quam ſi minorem largitus. Hoc enim perinde eſſet, ac ſi elegiſſet media ad finem conſequendum non prorſus apta, cum aptiſſima noſſet ac eligere poſſet. Si non potuit tantam mundo impertiri perfectionem, aut aberrationes a ſcopo non prævidit, aut fieri non potuit, ut per rerum ſtructuras emendatiores eas præcaveret. Prius Sociniani defendunt, qui præſcientiam divinam negantes particularibus decretis locum faciunt: poſterius nemo hactenus demonſtravit, nec ulla ratione probabile reddere potuit quispiam, hoc tantum artificium eſſe ſapientia & potentia divina ſuperius. Ego, qui a Socinianorum hypotheſibus maxime alienus, in ſupremi autem Numinis gloriam pronus, haud facile vereor, ne in extollenda ſapientia & potentia ſim nimius: immo facillime condonarem errorem, ſi quis in re dubia ſapientiam & potentiam DEI ad impoſſibile vel maxime extenderet. Vanus eſt metus, quod, ſi DEus omnia finibus ſuis convenienter in cauſis ſuis prædeterminaſſe dicatur, ut particularibus decretis ad emendationem & extraordinarias directiones non habeat opus, providentia ſpecialis corruat, aut prorſus fatali neceſſitati locus fiat. De poſteriori pudet dicere, cum abſolutæ ac fatalis neceſſitatis notio huc non quadret, ſed locum tantum habeat ne-

necessitas hypothetica, quæ, ut supra notatum est, Theologorum judicio cum contingentia & libertate consistit (§. 13.). Quod vero providentiam specialem attinet, ea se in eo exerit, quod eventus rerum in hominum commodum & incommodum dirigantur, prout conveniens videtur sapientiæ divinæ. Nonne igitur perinde est, sive Deus, quæ infinita est ipsius sapientia & potentia, universum ita constituit, ut eventus finibus convenientes justo accidant tempore; sive res vi ordinis naturæ aliorsum tendentes retrahat quasi e cursu suo & in aliam plagam dirigat. V. gr. Ponamus Zephyrum continuo pluere, damna daturum frugibus. Ponamus preces fundi ad DEum, ut det serenitatem. Ponamus denique Solanum reducere serenitatem. Annon perinde DEus axaudivisse dicendus est preces supplicantium, siue naturæ eum fecerit ordinem, ut tunc præcise temporis, quo preces ad eum fusum iri per præscientiam suam præviderat, Zephyrus vices cum Solano commutaret, sive tunc demum, quando preces funduntur, peculiari quodam decreto facto, extraordinario quodam concursu Zephyrus in Solanum vertatur naturaliter non subsecuturum. Ego nullum video in directione eventus ad hominis precantis salutem discrimen nisi extrinsecum, scilicet quod in priori casu directio fiat per concursum ordinarium, posteriori autem per miraculosum. Ipsa eventuum directio experientia comprobatur, an vero concursu ordinario, an extraordinario fiat, non item. Quantum tamen causas rerum naturalium scrutari licet, nunquam desunt effectuum naturalium causæ secundæ, ut adeo probabilitas sit, etiamsi ad experientiam tantum attendas, DEum in hac quoque directione ordinario suo concursu uti. Quodsi regeras, si in nostro casu jam is sit naturæ ordo, ut Zephyrus cum Solano vices suas commutet, frustraneas esse preces, atque Zephyrum vices traditurum Solano precibus nullis ad DEVM fusis. Miror hanc objectionem! Nonne DEVS prævidit homi-

homines tum preces ad ipſum fuſuros eſſe, cum in eorum gratiam eum efficeret naturæ ordinem, ut Zephyro Solanus ſuccederet, & intuitu harum precum hæc ita conſtituit, cum poſſet aliter? Cumque præſcientia DEI ſit infallibilis, num fieri poteſt, ut Zephyro pluente preces non fundantur? Qui intelligit, quæ Theologi docent præſcientiam divinam adverſus Socinianos tuentes, inani hoc metu minime angitur. Ceterum ne ea, quæ dixi, perverſæ interpretationi obnoxia fiant, tenendum eſt, me hæc intelligere nonniſi de regno naturæ, nequaquam vero de regno gratiæ. Philoſophus enim in iis acquieſcit, quæ naturalis luminis vi deteguntur: quæ autem divinitus revelata ex ſcripturis ſacris hauriuntur, ea Theologis diſcutienda relinquit. Mirum tamen videri debet, quod, ſi quis, Socinianorum decretis temporariis rejectis, largitur, quæ a Deo fiunt in tempore, ea ab æterno fuiſſe decreta & eſſentias ſive poſſibilitates rerum a decreto ſeu voluntate ipſius derivat, hoc tamen non obſtante neget, mundum a Deo ita fuiſſe factum, ut finibus conſequendis eſſet aptus, citra quandam emendationem in ſtructuris rerum aut correctionem in motu: neque enim is cauſari poteſt, mundum tam artificioſe conſtructum eſſe ſapientia divina ejusque potentia ſuperiorem, cum potentiam non metiatur ex poſſibilitate, ſed poſſibilitatem potius ex voluntate, cui potentia æquiparatur. Quis enim ignorat, Deum facere poſſe, quæcunque vult? Si qui vero ulterius contendunt, ſi omnes rerum materialium eventus in cauſis ſuis determinati ſint, mundum fore machinam, quæ ſibi relicta ſuas res agat, nec manu DEI auxiliatrice habeat opus, ſicque concurſum divinum corruere: ad hoc dubium jam ſufficienter reſponſum eſt alibi. Repetam tamen breviter, quæ e re ſunt. Tenendum itaque, horologium in motu ſuo non requirere manum auxiliatricem artificis, propterea quod motus ejus per ſtructuram ſufficienter determinati ſunt, ſed quod conſtet ex materia, quæ ab ipſo

ut conſervetur non habet opus. Aſt quod ſubſtantiale eſt in univerſo vi propria exiſtere nequit: eget adeo ad exiſtendum divino continuo influxu. Quamobrem & conſervatio continuata creatio dici ſolet, cum eadem virtute opus ſit ad conſervandum, qua opus erat ad creandum. Qui eſſentias rerum neceſſarias ipſasque perinde ac attributa earundem incommunicabilia ſtatuunt, juxta eos implicat, ut DEus creaturæ impertiatur vim, qua citra ipſius continuum influxum per ſe ſubſiſtere poſſit. Cum enim exiſtentia neceſſaria ſit attributum eſſentiæ divinæ, cum eadem reciprocabile, & propria vi exiſtere idem ſit ac neceſſario exiſtere, ſi DEus diceretur creaturæ communicare vim exiſtendi propriam, id perinde eſſet ac ſi eidem communicaret attributum divinum, hoc eſt, ens ab alio converteret in ens a ſe. Qui eſſentias & veritates arbitrarias admittunt, talia ipſorum hypotheſibus non invitis comminiſci poſſunt: ſed non eſt id facere integrum eſſentiarum neceſſariarum propugnatoribus. Ecce igitur tibi, quomodo per ea, quæ nos defendimus, principia concurſus DEI continuus ad omne, quod poſitivum eſt in creatura, demonſtrativa quadam ratione conſequatur, & per rerum prædeterminationem in cauſis ſuis omniſcientia, ſapientia & potentia DEI in immenſum extollatur ultra omne id, quod cogitari poteſt. Quemadmodum vero ſupra oſtendimus, nos quoad eſſentias rerum neceſſarias fulciri auctoritate Theologorum, quorum per leges imperii ſtat auctoritas (§. 12.), ita nec eadem deficit circa prædeterminationem. Quis enim ignorat, Theologos contra decreta Socinianorum temporaria ob negatam præſcientiam divinam diſputantes admittere contingentium eſſe determinatum & ex hac determinatione præſcientiæ divinæ poſſibilitatem arguere? Si quis vero fuerit adeo hoſpes in Theologia, ut ea ignoret, is evolvat *Becmanni* ſupra laudati annotationes in *Hutteri* Compendium. *Deus*, in-

inquit (r), *futura, quæ decrevit, cognovit quoad eſſe ſuum determinatum, ſive quia determinate fuerunt futura. Hoc eſſe autem omnibus futuris contingentibus eſt commune.* Et ut adpareat, hoc eſſe determinatum non eſſe diverſum a prædeterminatione in cauſis ſuis, adde quæ paulo inferius (s) habet: *Præſciri poſſunt, quatenus certo a cauſa ſunt producenda adeoque certo futura.* Præclare quoque in rem præſentem D. *Auguſtinus* (t): *Non eſt conſequens, ut, ſi Deo certus eſt cauſarum omnium ordo, ideo nihil ſit in noſtræ voluntatis arbitrio & ipſæ quippe noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo ejusque præſcientia continetur, quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt, atque ita qui omnes rerum cauſas præſcivit, profecto in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſcivit. Quomodo ergo ordo cauſarum, qui præſcienti Deo certus eſt, id efficit ut nihil ſit in noſtra voluntate, cum in ipſo cauſarum ordine magnum habeant locum noſtræ voluntates.* Apparet adeo, præſtantiſſimum quoque hunc eccleſiæ Patrem admittere cauſarum ordinem & eventuum in ſuis cauſis prædeterminationem, vi cujus a Deo hunc cauſarum ordinem adæquate intelligente præſciri potuerint.

§. XVI.

Cur cauſarum ordine in univerſo fuerit opus, ex natura contingentium in meditationibus meis metaphyſicis clariſſime oſtendi (u). Nimirum cum contingens, propterea quod ejus oppoſitum æque ac ipſum poſſibile, per eſſentiam ad exiſtendum determinatum non ſit, cauſa opus habet, ut exiſtat, hoc eſt, neceſſe eſt detur extra contingens ens quodpiam, quod rationem exiſtentiæ ſufficientem alterius in ſe contineat. Quodſi cauſa hæc iti-

Num cauſarum ſeries fatalem neceſſitatem & independentiam mundi a Deo inferat.

(r) Loc. 2. quæſt. 2. §. 4. p. 58.
(s) Loc. cit. §. 13. p. 61.
(t) lib. 5. de Civitate Dei c. 9. (u) §. 579.

itidem fuerit contingens, & ipſa cauſa aliqua opus habet ad exiſtendum. Quamobrem ſi contingens aliquod naturaliter exiſtere debet, opus eſt nexu ſeu ordine cauſarum infinito. Idem ſentit celeberrimus noſter *Hoffmannus* (x), dum ſcribit: *In rebus contingentibus cauſarum progreſſio fit in infinitum, nam una cauſa ſemper eſt effectus alterius cauſæ.* Cum *Spinoſa* (y) doceat, *quodcunque ſingulare, ſive quamvis rem, quæ finita eſt & determinatam habet exiſtentiam, non poſſe exiſtere, nec ad operandum determinari, niſi ad exiſtendum & operandum determinetur ab alia cauſa, quæ etiam finita eſt, & determinatam habet exiſtentiam: & rurſus hanc cauſam non poſſe etiam exiſtere, neque ad operandum determinari, niſi ab alia, quæ etium finita eſt, & determinatum habet exiſtentiam, determinetur ad exiſtendum & operandum, & ſic in infinitum:* quidam verentur, cauſarum ſeriem infinitam ad exiſtentiam contingentis requirentem in *Spinoſismum* delabi, immo regreſſum in infinitum admittere, omnem libertatem & actionum moralitatem tollere, exiſtentiam Dei ſubleſtam reddere & mundi æternitatem ſtatuere. Quamvis acerba ſit accuſatio, facillima tamen eſt defenſio. Etenim 1. in genere abſurdum & a moribus hominis ingenui alienum cenſetur, ſi cujus aſſerta cum verbis Autoris damnati conferantur, quæ illa dogmata non attingunt, ob quæ cenſuram meritus. *Spinoſa* Autor damnatus habetur, quod naturam cum DEO confuderit, omnium rerum fatalem neceſſitatem defenderit, nec DEO, nec homini libertatem agendi conceſſerit, Chriſtianæ religionis myſteria & omnia in univerſum miracula negaverit; non vero quod dixerit, naturaliter contingens exiſtere non poſſe niſi per nexum ſeu ordinem infinitarum cauſarum. Deinde 2. tenendum eſt, me & Collegam venerandum *Hoffmannum* non docere, dari progreſſum cauſarum in infinitum actu, ſed

(x) Tom I. Medic. ration. p. 44.
(y) Ethic. part. 1. prop. 28. 25.

ſed nos tantum, ubi de veritatum analyſi agimus, affirmare, ſi contingens quodpiam ſola vi naturæ exiſtere deberet, illud ad exiſtentiam pervenire non poſſe niſi admiſſa infinita cauſarum ſerie; atque ea in re differentia inter nos & *Spinoſam* intercedit, qui progreſſum in infinitum actualem defendit. Tantum adeo abeſt, ut exiſtentiæ divinæ a nobis præjudicium fiat, ut potius 3. ad eam firmiſſime demonſtrandam viam ſternamus. Etenim cum facillime oſtendi poſſit, ſeriem cauſarum contingentium in infinitum non continere rationem ſufficientem exiſtentiæ contingentium, recta via ſic deducimur ad cauſam primam, quæ extra contingentium ſeriem exiſtens rationem exiſtentiæ contingentium ſufficientem continet, hoc eſt, ad DEum. Porro 4. ſiquis vel maxime, quem DEum admittere aliunde conſtat, aſſerat, contingentium exiſtentiam ſupponere ſeriem cauſarum innumerarum (ut ego locutus ſum) aut earum progreſſionem fieri in infinitum, ut Cel. *Hoffmanni* verba habent: non tamen ideo dicendus eſt cum atheis ad incruſtandum atheismum progreſſum in infinitum ſtatuere. Quis enim neſcit, infinitum hoc in caſu eſſe modum loquendi & deſignare numerum, qui a nobis definiri nequit? Poteram & hac reſponſione eſſe contentus, niſi revera longius proſpexiſſem, quemadmodum modo notatum eſt. Denique 5. quod ideo a nobis libertas & actionum moralitas tollatur & mundi æternitas defendatur, id quidem per ſe in auras abit.

§. XVII.

Dixi DEum eſſe ens, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ univerſi, & hanc definitionem ejus nominalem dedi in meditationibus meis metaphyſicis, quoniam a cotningentia univerſi ad exiſtentiam DEI argumentor (§. 3.). Evidens equidem eſt, *Spinoſæ* definitionem DEI eſſe ab hac prorſus diverſam, nec cum hypothetibus ejus conſiſtere: ſunt tamen, qui ex *Spinoſa* hauſtam

An Autoris Dei definitio nominalis ſit ſpinoſiſtica.

ſtam eſſe argutantur. *Spinoſa* (z) DEum definit per *ens abſolute infinitum*, hoc eſt, *ſubſtantiam conſtantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit.* Hanc definitionem cum mea non eſſe eandem, per ſe liquet. Sed quod definitionem meam *Spinoſa* admittere non poſſit, ſalvis ſuis hypotheſibus ex ſuperioribus patet. Etenim is non admittit iſtiusmodi contingentiam univerſi, qualem ego defendo, adeoque nec admittere poteſt ens, in quo eiusmodi contingentiæ ratio ſufficiens continetur. Sed ecce tibi, quomodo probetur, definitionem meam cum *Spinoſæ* placitis convenire. Inter ejus propoſitiones de DEO habetur etiam (a) ſequens: *Quicquid eſt, in Deo eſt & nihil ſine Deo eſſe, nec concipi poteſt.* Jam rationem exiſtentiæ univerſi ſufficientem continere, idem eſſe dicitur ac in Deo eſſe. Patet ergo ſi ſuperis placet! conſenſus cum *Spinoſa.* Etſi autem crimen non haberet, quod accuſationem meretur, ſi mea DEI definitio cum hac *Spinoſæ* propoſitione conſentiret, namque & in ſacris literis totidem verbis legitur (b), *nos in Deo eſſe:* qui tamen definitionem meam ex notionibus a me explicatis interpretatur, is ſtatim intelliget, in DEO eſſe & rationem ſufficientem exiſtentiæ contingentis, de qua hic ſermo eſt, in DEO habere, non eſſe unum idemque. Etenim *per rationem* (c) ego intelligo *id, ex quo perſpicitur alterum eſſe poſſibile.* Rationem ergo exiſtentiæ ſuæ in DEO habere quando dicitur mundus, perinde eſt ac ſi affirmarem, eſſe in DEO aliquid, unde intelligi poſſit quomodo mundus in ſe contingens exiſtentiam nactus fuerit. Equidem non minus crimen habetur, quod in hac definitione creationis & quidem in ſenſu genuino ſeu communi nulla fiat mentio. Enimvero quis Logicus eam de-

(z) Ethic. part. 1. def. 6. p. 1.
(a) Ethic. part. 1. prop. 12. p. 15.
(b) Act. XVII, 28. (c) §. 29. Met.

definiendi legem tulit, quod in definitione alicujus ſubſtantiæ mentio fieri debeat omnium ejus actionum? Et, ſi quis Logicus talem legem ferret, ego tanquam genuinis Logicæ regulis ac accuratiori methodo adverſam rejicerem. Immo ſi neceſſitatis eſt, ut in definitione DEI nominali creationis expreſſa mentio fiat; cur non etiam mentio fieri debet conſervationis, cur non redemtionis, juſtificationis, ſanctificationis &c. ne talem definiviſſe dicaris Deum, quem etiam homines a Chriſtianiſmo alieni admittunt? At urges præterea, cum hac definitione conſiſtere hypotheſin de æternitate mundi, quæ conſtanter atheiſmi fundamentum fuerit habitum. Cum ex mea definitione non ſequatur, mundum eſſe æternum; difficultas eo redire videtur, quod ex ea demonſtrari minime poſſit, mundum non eſſe æternum. Sit ita! ſed quid tum? Quis Logicorum unquam docuit, definitionem nominalem ſubſtantiæ ita eſſe concipiendam, ut omnes ejus operationes inde demonſtrari poſſint. Ceterum nondum evicta eſt impoſſibilitas demonſtrandi ex hac definitione, mundum non eſſe æternum. Aſt inſtas, me (d) mundo æternitatem tribuere, quod dixerim, ex principiis rationis difficulter demonſtrari poſſe, immo publice hactenus demonſtratum non eſſe, quod genus humanum aut mundus cœperit. Qua, quæſo, conſequentia id infertur? Deinde tenendum eſt, me cum D. *Thoma* ſentire. Is enim (e) diſertis verbis pronunciat, *mundum non ſemper fuiſſe, demonſtrative probari non poteſt, & ita ſola fide tenetur.* Immo idem aſſerit *Paulus* (f) & D. *Thomas* ideo monet, *ut caveant, qui demonſtrare contendunt, ne afferant rationes*, QVÆ DENT OCCASIONEM RIDENDI. Et meo quidem judicio rectius illis ſentit, qui a tot Scriptoribus e principiis

(d) in Rat. Prælect. ſect 2. c. 3. §. 43. p. 156.
(e) Sum. Theol. part. 1. quæſt. 46. art. 2. Concl. 1. p. 96. apud *Carbonem.* (f) Hebr. XI, 3.

piis rationis ſolidiſſime id demonſtratum eſſe affirmant. Nam quæ ego vel recentiſſime in hoc genere pro demonſtrationibus venditari vidi, ea mihi & aliis occaſionem ridendi dediſſe ſancte confiteor. Monui autem in Metaphyſicis (g), non opus eſſe ut cum atheo de æternitate mundi ferram contentionis reciprocemus: etenim ſi vel maxime concedamus interea, mundum eſſe æternum, nihil tamen inde adverſus DEI exiſtentiam concludi poſſe, cum mundi æternitas prorſus diverſum quid ſit ab æternitate DEI, quia infinitum tempus non idem cum æternitate proprie ſic dicta. Quamvis autem hoc adſertum dedecere Philoſophum Chriſtianum quaſi attoniti judicent nonnulli; denuo tamen cum *D. Thoma*, quem veritatis Confeſſorem noſtrates venerantur, eandem ſententiam amplector. Ait enim apud *Carbonem* (h): *Licet mundus ſemper fuiſſet, tamen non parificaretur Deo in æternitate: quia eſſe Dei eſt æternum ſine ſucceſſione.* Cauſæ DEI rectius conſulunt, qui in demonſtranda Numinis exiſtentia caute procedunt; quam qui quascunque ratiunculas pro demonſtrationibus venditant & quod argumenta ſint ad convincendum valida conſenſu nunc plurimorum, nunc omnium prudentiorum probant, quaſi vero argumentum aliquod ex votorum pluralitate robur ſuum nanciſceretur. Ceterum quæ ego cum D. *Thoma* de diſcrimine inter æternitatem DEI, & æternitatem mundi docui, eadem ſuo quoque calculo probat Theologus & Philoſophus Anglus inſignis, *Samuel Clarkius*, *Joannis* ſupra (§. 9.) laudati frater, in libro de exiſtentia & attributis DEI, ut adeo adpareat, etiam in Anglia Theologos acumine præditos cum Doctore angelico conſentire.

SECT. II.

(g) §. 1075. (h) loc. cit. concl. 6. p. 97.

SECTIO II.

DE DIFFERENTIA SYSTEMATIS HARMONIAE PRAESTABILITAE ET HYPOTHESIVM SPINOSAE.

§. XVIII.

Systematis harmoniæ præstabilitæ historia & ratio.

SYstema harmoniæ præstabilitæ invenit mortalium ingeniosissimus, *Godofredus Guilielmus Leibnitius*, æternum Germaniæ decus, quem inter summos Philosophos referendum esse unanimi ore confitentur, quotquot de meritis virorum egregiorum in scientias judicare datum, ac nuperrime suo quoque calculo confirmavit celebris apud Lugdunenses Philosophus *Gravesandius* (a). Incidit in hoc ingeniosum profecto inventum tanto viro dignissimum jam seculo superiore, idque in Diario eruditorum Gallico A. 1695. mense Junio & Julio primum publici juris fecit, cum ultra decem annos presssisset, ut adeo nihil præcipitasse dicendus sit. Reverendi Patres Societatis JEsu, Diarii Trevotiensis autores, cum Theodicæam recensent, in hoc opere vastissimi ingenii & eruditionis præstantiam singularem undiquaque enitescere fassi illustrique Autori ingenium meditationes suas ad rationis trutinam exigere natum tribuentes, ubi quædam ipsius principia se probare non posse monent, submoleste v. gr. videntes *Lutheri* librum de servo arbitrio adversus *Erasmum* ab eodem probari, mox addunt (verba recito ex versione Latina, quam dedit Theodicææ interpres in præfatione ad opus egregium, communi omnium applausu exceptum:) *Sed horum in numero ingeniosum harmoniæ præstitutæ systema minime profecto reponimus: etsi enim illi systemati per omnia non assentiamur, at certe id libertati*

(a) in præfat. ad institutiones Philosophiæ *Newtonianæ*.
(b) p. 143 edit. Bat.

tati humanæ valde favere nobis eſt perſuaſiſſimum. Academiæ Regiæ Scientiarum Secretarius, *Fontenellius*, vir in omni ſcientiarum ac eruditionis genere verſatiſſimus, ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ, inventum Philoſophis prorſus inexpectatum, infinitæ ſcientiæ creatoris ideam prorſus admirandam exhibere fatetur in Elogio, quod in conſeſſu Academicorum, virorum in omni Gallia eruditiſſimorum, recitavit & Hiſtoriæ illius Academiæ, quam pro Anno 1716. edidit, inſeruit. Celeberrimus Dictionarii Critici Autor, *Petrus Bælius*, cujus in judicando acumen prædicant omnes, poſtquam objectiones quasdam in hoc ſyſtema propoſuiſſet, tandem omnem diſcurſum his verbis concludit (c): *Mr. Leibniz par la penetration de ſon grand genie - - applanira tout ce, qui pourroit être de plus ſcabreux dans ſon ſyſteme & qui nous aprendra d'excellentes choſes ſur la nature des eſprits. Perſonne ne peut voyager plus utilement, ni plus ſurement que lui dans le monde intelligible. J'eſpere, qu'ſes beaux é lairciſſemens feront diſparoitre toutes les impoſſibilitez, qui ſe montrent jusques ici a mon imagination, & qu'il réſoudra ſolidement mes difficultez & même celle de Dom François Lami, & c'eſt dans cette eſperance, que j'ai pu dire, ſans compliment, que ſon ſyſteme doit être conſideré comme une conquête d'importance.* Vides adeo *Bælium* contra *Leibnitianum* ſyſtema quædam objicientem certiſſima ſpe fretum, fore ut *Leibnitius* pro ſumma ingenii profunditate objectionibus ſuis & aliorum ex aſſe ſatisfaciat, nec adeo eas pro inſolubilibus habere, multo minus tales agnoſcere, quibus ſyſtema funditus evertatur. Vides eundem lubentiſſime fateri, difficultates contra idem propoſitas imaginationi, non rationi deberi, adeoque veri tantum ſpeciem quandam præ ſe ferre. Vides eundem ſyſtema, de quibus jam nobis ſermo eſt, inter inventa maximi

(c) in Diction. Hiſtor. & Crit. Tom. 3. f. 2484. edit. Roterod. A. 1721.

ximi momenti referre, ut inventor herois inter eruditos locum ob id tueatur. Vides denique eundem agnoviſſe, quod nemo *Leibnitio* utilius & ſecurius in pnevmaticis verſari potuerit. Audiamus quoque judicium alicujus Theologi ex proteſtantium numero. *Jaquelotus*, qui in religione naturali & Chriſtiana defendenda præclare verſatus, rationibus pugnans, non clamoribus, non jurgiis, non convitiis, non conſequentiis ad arbitrium effictis, quemadmodum ſolenne eſt iis, qui rationum momenta expendere neſcientes de rebus, quas non intelligunt, judicandi poteſtatem proterve ſibi ſumunt, in egregio de fidei & rationis conſenſu libro (d) fatetur, *ſyſtema cauſarum occaſionalium Carteſii a tot jam dudum Philoſophis & Theologis in hunc usque diem* defenſum majoribus, quam *Leibnitianum difficultatibus premi; ſyſtema Leibnitianum, ſi bene intelligatur, libertatem non deſtruere; exemtum eſſe difficultatibus, quæ in aliis, ipſo etiam* ſyſtemate communi influxus phyſici, *reperiuntur. Immo ſi velimus ſequi ideas, quas habemus de corpore & de ſpiritu, una cum propriis eorum attributis, atque adeo nolimus corpus agere in ſpiritum, aut ſpiritum creatum in corpus, amplectendum eſſe ſyſtema Leibnitianum.* Cum ego in meditationibus meis metaphyſicis, quæ de mente & ejus commercio inter ipſam & corpus obſervantur, ex utriusque notionibus ſive ideis a priori explicare mihi propoſuiſſem, invitus fere incidi in ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ, quod ne nonnullis offendiculo eſſet omittere decreveram atque ſic reipſa expertus ſum, verum omnino eſſe, quod judicaverat acutiſſimus *Jaquelotus*. Cum Cl. *Bülffingerus*, Philoſophus apud Tubingenſes eximius, A. 1721. ad Profeſſoris publici dignitatem evheretur, diſputationis inauguralis argumentum fecit harmoniam præſtabilitam *Leibnitii*. Nuperrime autem de eodem ar-

(d) Conformité de la foy avec la raiſon p. 381. 382. conf. Acta Erudit. A. 1705. p. 553. & ſeqq.

gumento integrum edidit Tractatum (e), in quo objectiones ſingulas, a viris doctis contra hoc ſyſtema motas diſcuſſit, ut adeo non opus ſit repetere, quæ ibi leguntur. Ceterum non modo Patres Societatis, qui Diarium Trevoltienſe condunt, verum etiam *Jaquelotus*, etſi utrique ſyſtemati per omnia conſentire nondum voluerint, inventum tamen laude merita ornant, nec conſequentias nectunt, quas *Leibnitius* non admiteit. Tale quid homine ingenuo indignum cenſentes, ubi quædam de electione optimi contra *Leibnitium* diſputant, in hæc verba erumpunt: *Ne tribuamus illuſtri viro conſectaria, quæ ipſe diſerte reſpuit.* Ecce tibi! quodnam ſit judicium virorum, qui cum ſcientia & eruditione virtutem conjungunt. Abhorrent illi a liberiori illa Logica, quæ e concluſionibus, quæ per evidentem conſequentiam e præmiſſis deductæ dicuntur, præmiſſas ipſas ſeu principia dijudicari & evidentiam conſequentiæ ex multitudine conſentientium æſtimari jubet. Nova hæc Logica, in orbe erudito hactenus ignota, peperit judicia de ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ ab iis, quæ huc usque recenſita ſunt, prorſus diverſa. Juxta hanc enim ſyſtema iſtud eſt commentum ex meris abſurdis conſtans, cujus cum exiſtentia & Numinis ſapientia nexus ridendi occaſionem præbeat atheis. Nihil aliud eſt, quam adoptatus pſeudo-philoſophiæ Spinozianæ fœtus, novo potius nomine inſignitus, quam alio habitu indutus. Fluunt inde corollaria, quibus omnis religio cum naturalis, tum revelata una cum omni moralitate ſubvertitur. Neganda eſt vi ipſius omnis libertas & providentia humana totaque doctrina moralis & civilis depravatur, immo fatalis omnium rerum neceſſitas introducitur. Miraberis hunc Argum viris acutiſſimis acutiorem! Aſt non miraberis, ſi animo recolas, quæ de nova mo-

(e) De harmonia animi & corporis humani maxime præſtabilita ex mente illuſtris Leibnitii Commentatio hypothetica.

modo Logica dicta ſunt. Cum conſenſus harmoniæ præſtabilitæ cum hypotheſibus *Spinoſæ* hactenus fuerit inauditus *in* orbe literato, nec ullus eruditorum vel ſomniaverit, *Spinoſam* eſſe primum hujus fœtus parentem; Cl. *Bülfingerus* in Tractatu hoc anno edito ad hanc criminationem nihil reponere potuit. Noſtrum igitur erit in præſenti vindicare famam tanti Viri cum primus fuerim, qui integro ſyſtemati harmoniam iſtam innexui & multo illuſtriorem reddidi, applaudentibus illis, quos ſcientia juvat, ringentibus ceteris, quorum intereſt ne ſcientia capiat incrementa.

§. XIX.

Sed antequam accuſationis, quaſi B. *Leibnitius* plagio quodam literario ex *Spinoſæ* operibus ſyſtema ſuum ſurripuerit, falſitas oſtendi poteſt, paucis quidem exponendum eſt ſyſtema atque reddenda ratio, cur iſtud ceteris in commercio mentis cum corpore explicando prætulerim. *Ariſtoteles* commercium inter mentem & corpus explicavit per realem quendam influxum utriusque ſubſtantiæ in alteram, tribuens corpori vim producendi perceptiones in anima & animæ viciſſim vim movendi corpus: quod ideo *ſyſtema influxus phyſici* appellari conſuevit. Hoc ſyſtema, cum diverſum ab eo ignoraretur, usque ad *Carteſii* tempora communiter receptum fuit, cum ab incautis perinde ac in Aſtronomia ſyſtema terræ quieſcentis ſenſuum teſtimonio comprobatum crederetur. Quemadmodum vero *Copernicus* pro ea, qua pollebat, mentis acie haud difficulter videbat, ſenſuum teſtimonio non conſtare, terram quieſcere & ſidera motu diurno circa eum ferri; ita quoque *Carteſius* pro eo, quod ipſi erat acumen, perſpiciebat nec ſenſus interni teſtimonio evidens eſſe, quod corpus in animam, anima viciſſim in corpus agat: id quod ego ex ipſa experientiæ notione clariſſime monſtravi. Sed nec ratio militabat pro influxu phyſico, cum actio corporis in animam & animæ in corpus intelligibili

Cur Autor in explicando animæ cum corpore commercio ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ amplexus.

modo explicari non poſſet : immo potius ratio eidem contraria erat, quod actione animæ in corpus & corporis in animam leges naturæ, quibus DEus mundum materialem regit, turbarentur. Hæc cum perpenderet Philoſophus, eo tandem delapſus eſt, ut ſtatueret, DEum ad impreſſiones in organis ſenſoriis factas producere in mente perceptiones iis convenientes & viciſſim ad nutum mentis motus in corpore, determinando directionem ſpirituum animalium in cerebro jam in motu conſtitutorum, ut influant in hos vel iſtos muſculos movendos, ſancita lege quadam generali, quam in concurſu ſuo obſervet. Hoc ſyſtema mirifice placuit Philoſophis, multique etiam Theologi idem amplexi ſunt. Sane in Gallia *Malebranchius*, Congregationis oratoriæ Presbyter, ſyſtema hoc maxime excoluit, & idem *Franciſcus Lamy*, ex Benedictinorum familia religioſus, amplexus eſt. In Batavia hodienum *Ruardus Andala*, Philoſophus & Theologus in Academia Franequerana clariſſimus, ſyſtema idem acerrime defendit. Immo in Germania *Joannes Chriſtophorus Sturmius*, qui philoſophiam eclecticam excoluit, ipſum quoque adſcivit & adverſus aliorum objectiones propugnavit. Enimvero *Leibnitius* conſiderans in ſyſtemate *Carteſiano*, quod vulgo *ſyſtema cauſarum occaſionalium* appellari ſuevit, omnia fieri per continua miracula & non minus quam in ſyſtemate influxus turbari naturæ leges *Carteſii* tempore nondum cognitas, ab *Hugenio* demum detectas; invenit tandem, difficillimum hoc negotium intelligibili modo ſecundum naturæ ordinem aliter explicari non poſſe, quam ſi anima ponatur ipſa vi ſua omnes ideas ſucceſſive evolvere, quæ actionibus corporum in organa ſenſoria reſpondent, corpus vero omnes motus appetitibus animæ convenientes producat, harmonia inter utriusque ſubſtantiæ actiones a DEO præſtabilita, ut eædem ſemper conſentiant. Cum mihi propoſitum eſſet, quæ ad commercium inter mentem & corpus ſpectant, ex utriusque notionibus explicare, ceu decet

decet Philoſophum: fieri ſane aliter non potuit, quam ut ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ uterer, quoniam, ipſo *Jaqueloto* judice, non aliud ſyſtema idem præſtat, quamvis ipſe judicium ſuum ſuſpendat & nulli calculum ſuum adjiciat, etſi haud obſcura indicia prodat, ſe magis in *Leibnitianum*, quam in commune influxus propendere: *Carteſianum* enim pro mera illuſione habet.

§. XX.

Sed mirum jam videbitur, qui vel ea tantum modo mente percepit, quæ nunc breviter de harmonia præſtabilita dicta ſunt, quod ex *Spinoſa* mutuata dicantur. Etenim *Spinoſa* non admittit duplicem ſubſtantiam, adeoque nullum ſtatuit inter mentem & corpus commercium, conſequenter juxta ipſius hypotheſin vana quæſtio, quomodo commercium illud obtineatur, ſeu quænam ſit ejus cauſa. *Subſtantia cogitans & ſubſtantia extenſa una eademque eſt ſubſtantia, quæ jam ſub hoc, jam ſub illo attributo comprehenditur. Sic etiam modus extenſionis & idea illius modi una eademque res eſt, ſed duobus modis expreſſa.* Ipſa hæc *Spinoſæ* verba ſunt, quæ recito (f). Vide itaque, quam abſonum ſit, ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ in *Spinoſa* quærere, qui nullo prorſus opus habet, cum in ipſius hypotheſi nullus ſit commercio inter mentem & corpus locus. Qui interrogant, num ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ hypotheſibus *Spinoſæ* conveniat, ſimiles ſunt interroganti, num ſyſtema influxus phyſici contineatur in *Hobbeſio*, qui tanquam Materialiſta ſolam ſubſtantiam corpoream admittit, mentis exiſtentiam negat. Sed audiamus *Spinoſæ* verba, quibus fucus fieri debet ſyſtema ipſius ignorantibus, quaſi is eadem doceret, quæ in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ inculcantur. Obſtupeſces adduci verba, quæ contradictoria eidem ſyſtemati palam eloquuntur, nimirum quod *Spinoſa: Mens & corpus ait, una eademque res eſt, quæ jam ſub cogitationis, jam ſub extenſionis attributo*

Num ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ ſit ex Spinoſa hauſtum.

(f) Eth. part. 2. prop. 7. ſchol. p. 46.

buto concipitur. Unde ſit, ut ordo, ſive rerum concatenatio una ſit, ſive natura ſub hoc, ſive ſub illo attributo concipiatur, conſequenter ut ordo actionum & paſſionum corporis noſtri ſimul ſit natura cum ordine actionum & paſſionum mentis. Dicit *Spinoſa*, mentem & corpus eſſe unam eandemque rem, cogitationem & extenſionem eſſe diverſos eandem rem repræſentandi modos: *Leibnitius* docet, mentem & corpus eſſe duas ſubſtantias a ſe invicem realiter diverſas, cogitationem & extenſionem eſſe attributa diverſarum ſubſtantiarum. *Spinoſa* affirmat, ſeriem perceptionum & ſeriem motuum eſſe unam eandemque concatenationem nec differre realiter, ſed noſtro tantum concipiendi modo, utpote, non niſi eandem unius ſubſtantiæ modificationem: *Leibnitius* ſtatuit, ſeries perceptionum in mente vi diverſa produci a ſerie motuum in corpore, ſecundum leges prorſus diverſas, & modificationes mentis diverſas prorſus eſſe a modificationibus corporis. *Spinoſa* adſerit, ſeriem perceptionum & ſeriem motuum eſſe ſimul *natura*; ſecundum *Leibnitium* tantum ſunt ſimul *tempore*. Sed tædet plura eam in rem afferre, cum ſatis ſuperque manifeſtum ſit, deſiderari in hac objectione candorem. Quis enim dixerit, duos idem ſentire, quorum alter res duas a ſe invicem diverſas inter ſe conſentire ſtatuit in actionibus atque paſſionibus ſuis, alter vero adfirmat, quæ inſtar rerum duarum inter ſe diverſarum conſiderentur non eſſe niſi unam eandemque rem? Hoc tamen non obſtante, ulterius ex *Spinoſa* urgentur hæc verba (g): *Ordo ac connexio idearum idem eſt ac ordo & connexio rerum, & vice verſa ordo & connexio rerum idem eſt ac ordo & connexio idearum. Quare ſicut ordo & connexio idearum in mente fit ſecundum ordinem & concatenationem affectionum corporis, ſic vice verſa ordo & connexio affectionum corporis fit, prout cogitationes rerumque ideæ ordinantur & concatenantur in mente.* Mens & corpus *Spinoſæ* una eademque res ſunt

(g) Eth. part. 4. prop. 1. p 237.

sunt: quid igitur mirum, quod eadem quoque juxta ipsum sint utriusque affectiones. Immo mentem humanam & corpus hominis ne quidem pro peculiari substantia habet *Spinosa*, sed pro modo aliquo unicæ, quam admittit & Dei nomine insignit, substantiæ venditat. Qui ex his *Spinosæ* verbis systema harmoniæ præstabilitæ exsculpunt, luculento specimine comprobant, quod in interpretandis aliorum sententiis nullam prorsus fidem mereantur, omnia pervertentes & summa ima miscentes. Et valde vereor, ne jacturæ olim, sed nimis sero pœniteat. Solent enim homines ab uno casu ad alios similes argumentari. Quinam candor deceat contra systema aliquod difficultates proposituros, *Iaqueloti* & Autorum Diarii Trevoltiensis exemplum docet (§. 18.).

§. XXI.

An libertati sit adversum & contingentiam tollat.

Cum adeo systema harmoniæ præstabilitæ cum hypothesibus Spinosæ nihil habeat commune (§. 20.), nec verendum est, illud esse fatali necessitati obnoxium & omnem libertatem ac contingentiam evertere. Sufficienter jam responsum est ab aliis ad hanc objectionem, tum ego contrarium clarissime ostendi in meditationibus meis metaphysicis (h), nec rationes meas quisquam convellere ausus est: id quod tamen fieri debet, si objectiones, ad quas dudum responsum est, iterentur. Nullum enim jus habet iterandi objectionem, nisi qui ostendere decrevit, eidem per responsionem non esse satisfactum. Alias enim perinde est ac si quis in actu disputatorio missis præmissis negaret conclusionem: id quod risu excipitur ab auditorio. Etenim qui ad responsiones excipere nequit, quo ostendat objectionem iis non obstantibus adhuc salvam esse, is principia ignoranti similis censetur, cum quo disputandum non esse Logici pronunciant: relegandus est in nostro casu ad responsionem alibi datam, eo quidem majori cum jure,

(h) §. 883. & seqq.

quando jam ceteri, affirmativam non tuentes, iique viri intelligentes & candore eminentes, qui aliis, cum ſcientia careant, pietate eminere ſatagentibus exemplo eſſe poſſunt (quod noſtro in caſu (§. 18.) accidit), objectionem non poſſe habere locum fateantur. *Jaquelotus* (i) non modo rationes reddidit, cur libertas in ſyſtemate harmoniæ non deſtruatur, verum etiam ad captum eorum, qui rationes comprehendere non poſſunt, ob ſufficientis acuminis defectum, ſimili vulgari illuſtrat. *Si ſyſtema*, inquit, *Leibnitianum* BENE *intelligitur, reperietur, in eo non deſtrui libertatem: anima enim facultatem habet decreta ſua formandi ac volendi, quod placet. Et quod actiones corporis ab anima imperatas attinet, non poteſt officere libertati diſpoſitio corporis ita a Deo formati, ut motus ejus præciſe voluntatibus animæ reſpondeant: quod tali exemplo intelligi poteſt. Ponamus mechanicum egregium ſcire, quæ ego famulo meo tali die ſim imperaturus, eumque poſſe formare automatum par exequendis omnibus motibus a me ea die imperandis. Certum eſt, me tunc automato illi tanquam famulo meo imperaturum eu, qua fruor, libertate, neque illam ipſius automati ſpontaneam ad ſuos motus determinationem quicquam libertati meæ præjudicaturam. Eodem ſe modo res habet in corpore humano, ſecundum ſyſtema Leibnitianum, quod ideo appellari ſolet* ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ. *Deus formavit noſtra corpora tanquam machinas, quæ debent reſpondere certis motibus noſtrarum animarum. Tale automatum non eſt impoſſibile Deo, qui novit omnes determinationes meæ voluntatis, motusque machinæ his determinationibus accommodavit. Hoc ſyſtema* EXEMTVM EST *difficultatibus, quæ in aliis reperiuntur. Non intelligitur in ſyſtemate recepto* (ſcilicet influxus phyſici), *quomodo voluntas agere poſſit in corpus* (immo nec conſtat, quod agat), *& in ſyſtemate cauſarum occaſionalium omnia fiunt miraculoſe, & Deus movet brachium meum occaſione*

(i) Vide Acta Erudit. A. 1705. p. 554.

ne meæ voluntatis, corpus proprie loquendo nihil agit. Sed in ſyſtemate Leibnitiano agit revera. Quod animam attinet, concipi utique poteſt, Deum ipſi in creatione dediſſe ideas confuſas & involutas omnium objectorum univerſi, quæ evolvantur & diſtinctæ fiant, prout objecta mutationes producunt in eo corpore, quod animæ conjunctum eſt, quia Deus ita creavit animam & corpus, ut perfecte ſibi reſpondeant. Anima deinde in ſeſe ipſa agit ſecundum illas ideas & perceptiones diſtinctas, ut judicia ſua formet ſuaque placita ac deſtinata animo concipiat ſecundum electionem, quam inſtituit. Ipſa imperat, & corpus exequitur virtute diſpoſitionis a creatore ad exequendum ei data. Ita ſentit Theologus merito ſuo celebris, qui acumine, ſcientia, æquitate & candore uſus, quemadmodum decet religionis cum naturalis, tum revelatæ defenſorem, cauſam Dei bene egit. Libertas in anima reſidet, non in corpore. Syſtema harmoniæ præſtabilitæ nihil in anima ponit, quod non locum habere poſſit in communi quoque ſyſtemate influxus, niſi quod animæ tribuat vim producendi perceptiones mutationibus in organis ſenſoriis ac inde porro in cerebro factis convenientes, quam vim ſyſtema commune ex anima in corpus transfert. Sed ſive perceptiones vi mentis propria, ſive vi corporis in eadem producantur, reſpectu libertatis perinde eſt: quocunque enim modo actus liberos ex perceptionibus objectorum elici ſtatueris, ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ non obſtabit, quo minus eodem utaris. Cur enim anima judicia ſua formatura & ad volitionem aut nolitionem ſeſe determinatura aliter agere debet ideo, quod perceptiones ipſas produxerit, quam quod in ipſa mere ſeſe paſſive habente productæ fuerint a corpore? Quamvis enim dicas, animam in producendis iſtis perceptionibus non eſſe liberam, ſed ex neceſſitate naturæ agere; quid inde detrimenti in libertatem redundat? Nonne perceptiones quoque in ſyſtemate communi influxus phyſici neceſſario in mente producuntur, quæ in earum produ-

ctione ſeſe mere paſſive habet? Sed quis inde libertati præjudicatum iri metuit? Nulla igitur neque ex hoc capite in ſtatu animæ ſecundum utrumque ſyſtema differentia eſt. Nulla adeſt ratio, quæ vel ſuſpicionem moveat, liberam mentis volitionem aliter explicandam eſſe in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quam in ſyſtemate influxus. Immo cum volitiones a perceptionibus ortum trahant (ignoti enim nulla cupido): in ſyſtemate influxus phyſici communi eædem a principio paſſivo originem ducunt & anima in liberis quoque actionibus a corpore pendet, cum in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ non pendeat niſi a ſeipſa. Unde corruunt omnes iſtæ difficultates, quæ a longo tempore ab illa dependentia animæ in actionibus ſuis liberis a corpore, agente neceſſario, adverſus libertatem motæ ſunt, neque illud perinde ac commune ſyſtema influxus phyſici libertatem animæ a mechaniſmo corporis dependentem facit. Atque ea eſt ratio, meo quidem judicio, cur R. Patres Societatis Jeſu Pariſini in Diario Trevoltienſi ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ *libertati valde favere dixerint*: nec aliam eſſe puto, quod R. *P. Tourneminius* ex eadem Societate, animæ in corpus actione conceſſa, neget tamen corporis in animam actionem, unam ſyſtematis harmoniæ præſtabilitæ partem amplexus. Libere igitur vult anima perinde in ſyſtemate *Leibnitiano*, quam in *Ariſtotelico* ſive vulgari, & libertas in utroque eodem modo ſeſe exerit. Aſt ais in ſyſtemate *Leibnitiano* motum corporis non eſſe liberum, ſed neceſſarium. Facilis eſt reſponſio, nec in ſyſtemate *Ariſtotelico* ſive vulgari motum corporis per ſe eſſe liberum; neque enim libertas eſt in corpore moto, ſed in anima movente. In Syſtemate communi anima determinat ſpiritus animales in cerebro, ut influant in muſculos movendos motum cauſaturi: in ſyſtemate *Leibnitii* iidem ſpiritus determinantur ab aliis, qui ad motum concitati fuerant per objectorum in organa ſenſoria impreſſiones vi ſtructuræ artificio-

ficioſæ cerebri, quæ ita a Deo facta eſt, ut iſtius modi motus conſequi potuerit. Idem ſane motus eſt in corpore, ſive ſpiritus animales determinentur ad influendum in muſculos per actionem quandam animæ, ſive ab aliis ſpiritibus ſui ſimilibus: id quod *Jaquelotus* ſimili illuſtravit. Quemadmodum vero libertas animæ eadem ſubſiſtit in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quæ fuerat in communi influxus; ita non minus contingentia actionis in utroque eadem. In ſyſtemate influxus non mutatur per decretum humanum, in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ non mutatur per decretum divinum, ceu ſuperius vidimus (§. 13.). Unde rerum metaphyſicarum gnari, qui ex notionibus diſtinctis, non confuſis judicant, nequaquam verentur, actiones liberas vi harmoniæ præſtabilitæ fato mechanico ſubjici, qui terminus ambiguus explicatione opus habet. Actiones externæ, quæ motu organorum corporis perficiuntur, mechaniſmo ſubjacent, nec anima eundem imperio ſuo violare poteſt, ſecus enim veri nominis miracula patraret: id quod abſurdum. Sed quis ideo dixerit, fieri ex fatali & abſoluta neceſſitate, quæ fiunt ex mechaniſmo? Contrarium in ſuperioribus abunde oſtendimus (§. 14.), nec ſufficit dicere, inde ad fatalem neceſſitatem & evertendam libertatem valere conſequentiam; ſed quomodo talia conſequantur demonſtrandum eſt. Id autem in æternum fieri non poſſe patet per ea, quæ dicta ſunt, & admittendum ceteroquin eſſet hoc abſurdum, libertatem animæ pendere a virtute locomotiva corporis, conſequenter hac per accidens violata, animam in volendo non amplius eſſe liberam. Vi locomotiva corporis mechaniſmo conformiter perficiuntur libera mentis decreta: libertas itaque in decernendo a locomotiva minime pendet, ſed tantum decreti executio. Intelligentibus ac æquis rerum æſtimatoribus libertas nihil negotii facit. Sed illud nonnullos ſuſpenſos tenuit, num machina corporis tam artificioſe a Deo conſtrui potuerit,

ut extrinſeca determinatione ſtatuto tempore exequatur libera mentis decreta. Impoſſibile viſum fuit *Bælio*, ſed qui primus objectiones quasdam propoſuit *Foucherius*, Canonicus tum Divionenſis, id DEO non eſſe impoſſibile conceſſit: idem etiam faſſus eſt ex Theologis Reformatis *Jaquelotus*. Quod igitur hi generatim affirmarunt, ego quoad ſingula capita in ſpecie deduxi in meditationibus metaphyſicis. Atque in eo conſiſtit, quæ nonnullos tantopere torquet, fati, ut loquuntur, mechanici extenſio, qua ipſa corporis motio & directio, ſpeciatim loquela oris rationalis, libertati, voluntati & operationi animæ abjudicata ſoli mechaniſmo tribuantur, & a quo ad negationem omnis libertatis & providentiæ humanæ, nec non ad depravationem totius doctrinæ moralis & civilis tanta evidentia valeat conſequentia, ut id inſtar axiomatis haberi debeat. In *Carteſii* ſyſtemate, quod, ut ſuperius monuimus, a plerisque Philoſophis, etiam eclecticis, & Theologis minimum Batavis hodie recipitur, DEus immediate determinat motum ſpirituum animalium, hoc eſt, per miraculum; in ſyſtemate *Leibnitiano* DEus idem prorſus facit, ſed naturaliter, mediantibus cauſis ſecundis. Minus ergo incommodi in hoc emergit, quam in iſto. Sive autem DEus aliquid agat naturaliter, ſive per miraculum, illud ideo fatali neceſſitati adſcribi nequit. Nec video cur motus a DEO in gratiam animæ libere decernentis determinatus, qui & ipſe in hac determinatione liber eſt, ideo fatali neceſſitati ſubjiciatur, quod ab ipſo determinetur, qui tamen talis futurus non erat, ſi ab anima determinatus fuiſſet. Finge, DEum animæ conferre vim determinandi motus in corpore volitionibus liberis reſpondentes, quam per eſſentiam in ſyſtemate *Leibnitiano* non habet. Ergo jam dices motum exemtum eſſe a fatali neceſſitate, quia DEus cum determinavit mediate per vim animæ conceſſam ſeu mutuatam: ſi vero idem per vim corporibus datam exequatur, aut ſibi propria utatur, motum

fato

fato & abſolutæ neceſſitati ſubjici. Quanta confuſio, orta ex notionum non ſatis diſtincte explicatarum defectu!

§. XXII.

An ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ ſit philoſophiæ morali ac civi i adverſum.

Quoniam libertas animæ eadem prorſus eſt in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quæ in ſyſtemate vulgari influxus, niſi quod locomotiva in illo non pendeat ab reali quodam ejus influxu, pendeat tamen perinde ac in communi ſyſtemate a libera volitione (§. 2.); nulla profecto adeſt ratio, cur in gratiam ſyſtematis harmoniæ præſtabilitæ quicquam vel mutetur, vel expungatur in philoſophia morali, ſive theoriam, ſive praxin ſpectes. Theoria philoſophiæ moralis circa actuum humanorum honeſtatem & decorum verſatur, ad quos dijudicandos nil confert explicatio commercii inter mentem & corpus. Omnia enim, quæ ea fini adhibentur, ſyſtemata circa locomotivam tantum differunt, in ejus nimirum determinatione phyſica diſſentientia, in determinatione autem morali conſpirantia. Neminem quoque videas morum vel juris naturalis Doctorem, qui phyſicam locomotivæ determinationem, hoc eſt, modum, quo ſpiritus animales in cerebro determinantur ad influendum in muſculos, inter principia repoſuerit, ex quibus morum honeſtas & decorum dijudicetur: multo minus novi quenquam, qui hoc principio ad dijudicandum actiones honeſtas & decoras fuerit uſus. Nec poteſt ſane quisquam hoc principio uti, cum aliud ſit actionum honeſtarum & decorarum principium iſtis intrinſecum, unde honeſtas & decorum pendet, decorum, inquam, verum, non apparens, quod poſterius ex hominum tantum opinione tale cenſetur. Integra ergo ſubſiſtit omnis theoria philoſophiæ morum in ſyſtemate quocunque, quod in eam controverſia de commercio inter mentem & corpus non influat. Sed nec ſyſtema *Leibnitianum* praxi hujus philoſophiæ præjudicat. Omnis enim noſtra praxis in hoc genere conſiſtit in motivis ex actionum indole derivandis qui-

quibus anima in alterutram contradictionis partem vi ſpontaneitatis ſuæ ſeſe determinatura utatur, & in mediis ad fines conſequendos & impedimenta removenda utilibus deſcribendis. Sed hic denuo nullus locus eſt controverſiæ de commercio inter mentem & corpus. Neque enim motiva ex eo derivantur, quod ſpiritus animales hac vel iſta vi in muſculos movendos influant, neque etiam in mediis & remediis determinandis attendimus, quomodo ſpiritus animales in cerebro determinentur, ut in hos vel iſtos muſculos influant. Sufficit nobis noſſe, quinam motus in corpore imperio mentis ſubſint, non quomodo in eo producantur: de illo autem convenit in omni ſyſtemate. Salva igitur quoque eſt integra praxis philoſophiæ moralis in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, ſeu, ut verius loquar, in omni theoria & praxi morum nulla habetur ratio illius differentiæ, quæ in explicando commercio mentis cum corpore intercedit inter philoſophos. Videbis etiam, me omnem theoriam & praxin moralem independenter ab hoc ſyſtemate dediſſe, & in ea nihil immutandum eſſe, quodcunque ſyſtema aliquis fuerit amplexus. Irrito igitur conatu meum philoſophiæ moralis & civilis ſyſtema ob defenſum in metaphyſicis harmoniæ præſtabilitæ ſyſtema ſuſpectum redditur, quaſi neſcio quid periculi habeat & neſcio quem fœtum faciat lectori. Vereor, ne judicent intelligentes, talia objicientem aut doctrinas morales & civiles non intimius introſpexiſſe, aut ab æquitate & candore quam longiſſime abeſſe. Sed tu forſan vereris, ne, ſi locomotiva a mente phyſice non dependeat, imputatio actionum non habeat locum. Vanus quoque hic metus: actiones imputantur, quatenus liberæ ſunt, conſequenter ob dependentiam locomotivæ moralem ab anima, nequaquam vero ob phyſicam. Non quod anima direxit ſpiritus animales, ut influerent in hunc vel iſtum muſculum ad producendum motum appetitui convenientem, ideo actio eidem imputa-

putatur: ſed quod appetitus, cui motus iſte corporis reſpondet, fuerit liber. Libertas animæ in volendo & nolendo principium imputationis eſt, conſentientibus omnibus in univerſum Moraliſtis, non locomotivæ dependentia phyſica. Vereris porro, ne actione corporis in mentem negata, locum non habeant pœnæ, quarum metu coercetur. Vanus etiam hic metus in auras abit. In omni ſyſtemate oriuntur perceptiones in mente mutationibus in organo ſenſorio factis convenientes, atque ab iis, non a modo, quo producuntur, originem ducit metus pœnæ, ſine quo civilis obligatio ſubſiſtere nequit. Controverſiæ de commercio inter mentem & corpus rite explicando inter Philoſophos agitatæ minime influunt in obligationem civilem.

§. XXII.

Animam definivi per ſubſtantiam univerſi repræſentativam pro ratione & ſitu corporis organici in univerſo, atque ex hac vi univerſum repræſentandi ſeu ideam ejus ſitu corporis organici limitatam producendi cetera deduxi, quæ in ea fieri obſervantur. Hæc vis, quatenus primum eſt, quod in anima concipitur, & unde ceterorum, quæ inſunt aut ineſſe poſſunt, ratio derivatur, dicitur a me conceptus mentis formalis ſeu eſſentia ejus. Sunt qui ſibi perſuadent animam ſic fieri ens mere paſſivum, conſequenter quod careat libertate veri nominis. Si ſyſtema commune influxus defenderem, ubi mens, cum ideæ rerum materialium vi corporis producantur, ſe mere paſſive habet; cum veri quadam ſpecie dici poterat, animam videri ens mere paſſivum, quod ipſa etiam determinatio voluntatis a paſſivo originem ducat. Sed ad hoc dubium non mihi, ſed communis ſyſtematis defenſoribus reſpondendum eſt. Enimvero quoniam in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ mens vi ſibi propria mutat ſtatum ſuum, dum perceptiones variantur, eadem in idearum productione active ſe habet, atque adeo, cum cetera ex eadem vi deriven-

An definitio animæ autoris libertatem evertat.

tur, omnia a principio activo deducuntur. Viderunt hanc ſyſtematis *Leibnitiani* prærogativam dubio procul, qui cum Cel. *Tourneminio*, Jeſuita Gallo, ideo corpori in animam actionem denegarunt, etſi animæ in corpus agendi vim reliquerint. Si adeo veri nominis libertas non eſt, quæ a principio paſſivo originem ducit: videant, qui hoc ſtatuunt, quomodo monſtrare poſſint in communi ſyſtemate influxus adeſſe veri nominis libertatem, ne ſe proprio gladio, qui nos minime ferit, jugulent. Qui ſe controverſiis philoſophicis, præſertim metaphyſicis, immiſcere voluerit, eum veteranum, non novitium eſſe oportet in ſtudio philoſophico & potentem, qui aliorum ſententias accuratis analyſibus ad vivum reſecet, nec ante ſtatuat, quam ſingula ad rationis trutinam exegerit. Quando vero menti tanquam ſubſtantiæ ſimplici non niſi unicam agendi vim tribuo & diverſas, quæ ipſi vulgo tribuuntur, facultates & nonniſi nudas agendi poſſibilitates denotant, ab ea derivo tanquam poſſibile ab actuali; videor nonnullis facultates realiter diſtinctas confundere in unum, immo præter facultatem percipiendi non aliam admittere in anima, mira conſequentia novæ *Logicæ*, quæ *liberioris* titulo ornatur, omnem vim activam & libertatem evertere, immortalitatem animæ ac omnem religionem deſtruere, immo omnia in anima ad meram paſſivitatem fato abſoluto & inevitabili ſubjectam reducere. Æquis rerum æſtimatoribus non liberior, ſed liberrima videbitur hæc Logica, vi cujus iſtiusmodi conſequentiæ nectuntur, utpote regulis omnibus ſoluta. Quis animam concipiet tanquam ens compoſitum ex tot diverſis a ſe invicem ſubſtantiis, quot ob diverſitatem operationum ſeu modificationum ipſi attribuuntur facultates? Qui imaginario modo de eadem loquuntur, iſtiusmodi fingunt: qui vero ſubſtantiam ſimplicem concipiunt, illi unicam in ea eſſentiam unicamque vim agnoſcunt, & facultates animæ non alio ſenſu tribuunt, quam quatenus per unicam illam vim

variæ

variæ eſſentiæ modificationes ſint poſſibiles. Quodſi ad eas producendas mens ſufficienter determinata eſt per eſſentiam, tum quidem agit neceſſario: iis autem in caſibus, ubi per eſſentiam ſufficienter non determinata, ſeipſam determinat atque hæc determinatio motus ſpontaneus vulgo appellatur, & libertatis eſſentiam conſtituit. Cuinam veritati hinc periculum immineat, ego quidem non video? Quæ enim conſequentiæ nectuntur, ex falſo fluunt ſuppoſito, quod omnia inevitabili neceſſitate ſequantur in anima ipſaque ad omnes ſuas modificationes per eſſentiam determinata ſit: id quod *Spinoſæ* dogma eſt, a me improbatum. Qui affectibus indulgens precario ſumit, dogmata mea cum *Spinoſæ* hypotheſibus convenire, ut exoſa reddat tyronibus, quæ non intelligunt; is ex falſo mihi imputatis principiis conſequentias infert, quæ nec ex meis fluunt, nec a me conceduntur, & quarum contrarium ipſemet luculenter monſtravi. Quoniam vero ex hac definitione animæ, quod ſit ſubſtantia univerſi repræſentativa pro ratione corporis alicujus organici & ejus in univerſo ſitu, nulla periculoſa conſectaria conſequuntur, niſi falſa interpretatione facta, ita nec talia in DEO locum habent, ubi eam ad eundem extendo ipſum definiens per ſubſtantiam omnia univerſa poſſibilia unico actu diſtincte aut adæquate ſibi repræſentantem. Rationes eædem valent de DEO, quas modo de anima in medium protulimus. Sed ais, hanc DEI definitionem mutuatam eſſe a Scepticis omnium ſtolidiſſimis, qui Idealiſtæ dicantur. Miror hæc dicentem! Nomina mihi, quæſo, ex multis tantum unum, qui hanc DEi vel animæ definitionem dederit. Mihi non innotuerunt niſi duo ſcripta autorum, qui Idealiſmum profeſſi ſunt, idiomate Anglico Londini publicata, *Georgii* nempe *Berkeley* Hyberni & *Arthuri Collierii* Angli: ſed in illis ea definitio non extat. Novi *Platonem* viſum fuiſſe nonnullis Idealiſtam, propterea quod alicubi corpora phænomena appellet, nec celeberrimum *Malebranchium* ab Idealiſmo multum abfuiſſe vulgo credi, ſed nec

in eorum ſcriptis definitio illa reperitur. Enimvero poſito, ſed non conceſſo, definitionem ab Idealiſta ante fuiſſe inventam; cum hoc Philoſophorum genus ſubſtantias immateriales agnoſcat ſolasque reales admittat, non video, cur ideo ab iis inventa definitio ſubſtantiæ immaterialis bona eſſe non poſſit, quia corporum exiſtentiam realem negant. Num ſubſtantia immaterialis ita tibi a materiali in eſſe ſuo dependere videtur, ut niſi huius reali exiſtentia admiſſa definiri rite poſſit? Mihi non videtur, neque Carteſianorum ullus concedet, ſubſtantiam immaterialem ſine dependentia a materia concipi non poſſe. In materialismum pronior foret, quam par erat, qui hæc ſtatueret. Urges ulterius definitionem Dei controverſam eſſe definito obſcuriorem: ſed vellem probares. Quisquis enim ſis, nulla tamen in affirmando eſt autoritas, quæ demonſtrationis vicem ſuſtinere poſſit. Philoſophus non admittit niſi probata. Ubi lateat obſcuritas, ego ſane non video, præſertim cum ſinguli termini, qui definitionem ingrediuntur, jam ante definiti ſupponuntur: id quod a me factum eſt, qui poſſibile, univerſum, diſtinctam & adæquatam notionem definivi. Reprehendis, quod plurium univerſorum mentio fiat, cum unicum tantum exiſtat. Quænam hujus reprehenſionis ratio? Num putas, DEum tantum præſens quaſi intueri hoc univerſum, quod actu exiſtit, ad cetera, quæ poſſibilia ſunt, ſeſe non extendere ejus ſcientiam? Negas igitur, quæ de ſcientia media tradunt Theologi, & in omniſcientiam DEI injurius exiſtis. An vero exiſtimas, præter ea, quæ actu ſunt, haud alia poſſibilia eſſe? Sic cum *Spinoſa* & *Hobbeſio*, aliisque fataliſtis *Abelardi* errorem renovas tuumque facis. Si præter ea, quæ actu exiſtunt, alia poſſibilia admittis, ſed quæ non locum habent niſi in hoc univerſo, hoc eſt, ſtante eadem corporum totalium compage; vocem univerſi alio in ſenſu accipis, quam ego, & ſic logomachus evadis, atque inſuper poſſibilium numerum arctioribus limitibus, meo qui-

quidem judicio, contingis, quam par erat. Enimvero capitalem quendam defectum in ea definitione obſervas, nempe quod tantum DEus deſcribatur ab intellectu, nec una mentio fiat voluntatis liberæ, omnipotentiæ, creationis & providentiæ. Sed ego hunc defectum non agnoſco: neque enim opus eſt, ut omnia ſubſtantiæ attributa omnesque operationes in definitionem ejus compingantur. Qui hæc faciunt, Logicam ignorant, quæ non plura ad definitionem requirit, quam quæ ad definitum ab aliis ſui ſimilibus diſcernendum ſufficiant. Urges hinc ulterius in ea definitione nihil contineri, quod non etiam dixerint *Ariſtotelici* & *Epicuri* aſſeclæ. Sit ita, quamvis nondum probatum fuerit? ſit etiam ita, quod hactenus tamen nondum evictum, ſyſtema *Ariſtotelis* & *Epicuri* de Deo & mundo cauſam atheiſmi continere, an ideo omnes *Ariſtotelis* & *Epicuri* de Deo errores ſuos facit, qui in definitione ſumit, quæ ab iis de DEO vera eſſe agnoſcuntur, & quæ ipſe falſa non eſſe fateris? Demonſtrandum erat, ex iis, quæ in definitione Dei ſumuntur, ſequi damnatos *Ariſtotelis* & *Epicuri* errores neceſſaria conſequentia: id quod fieri non poſſe vel inde patet, quod ipſemet vera concedis, quæ in definitione continentur. Ex veritate autem neceſſaria conſequentia non ſequuntur errores. Contendis tandem, ipſum *Spinoſam* dicere, quod DEVS ſit res cogitans (a) & idem eſſe arbitraris rem cogitantem eſſe & omnia univerſa poſſibilia unico actu diſtincte ſibi repræſentare. Sit ita, quod unum ſit, quamvis mihi nondum videatur; ſed quid, quæſo, inde periculi imminet? Hauſit ea *Spinoſa*, uti notiſſimum, ex *Carteſio*, qui ſubſtantiam incorpoream definit per cogitationem. Idem cum *Carteſio* ſentit *Poiretus*, quem Autor novioris Medicinæ mentis in præfatione vocat *virum ſummum & meritiſſimum, in cujus ſcripta cum incideret, magnopere ſibi gratulatus.* Sen-

 tiunt

(a) Ethic. part. 2. prop. 1. p. 42.

tiunt etiam hodienum cum *Carteſio* Philoſophi & Theologi, quos inter mihi *Ruardum Andalam*, ſtrenuum *Carteſii* defenſorem in Academia Franequerana, nominaſſe ſufficiat. Sed ſcrupulus ſupereſt, qui te angit. *Carteſium* ais atheiſmi occaſionem incautis præbuiſſe, definitione mentis humanæ haud adæquata, quippe quæ in cogitatione poſita ſuam voluntati præſtantiam & libertatem haud relinquat. Res facti eſt: nominandi ergo ſunt athei, qui ad atheiſmum ideo prolapſi, quod *Carteſius* definiverit animam per ſubſtantiam cogitantem. Hactenus ne unus quidem nominari potuit. Quod vero vi hujus definitionis libertas voluntatis non evertatur, docebunt *Carteſiani*, nec me defenſore opus habent.

§. XXIII.

An theorema de eadem virium quantitate conſervata ad atheismum deducat.

Carteſio immutabilitati Numinis conveniens videbatur, ut, quemadmodum eadem materiæ quantitas ſemper conſervetur, ita quoque eadem virium quantitas conſtanter ſit in univerſo ad ſalvanda naturæ phænomena. Quamobrem cum vires æſtimaret ex ductu celeritatis in maſſam, qui motus quantitatem metitur, eandem motus quantitatem conſtanter conſervari ſtatuit. Poſtquam *Hugenius* & *Wrennus* veras motuum ex percuſſione regulas inveſtigaſſent, a *Mariotto* experimentis pendulorum comprobatas; per eas evidens erat, motus quantitatem in conflictu corporum ſubinde mutari: quod vero conſtanter conſervetur eſſe, quod producitur ex quadrato celeritatis in maſſam. Cum itaque *Leibnitius* reperiſſet vires æſtimandas eſſe non ex ductu celeritatis, ſed quadrati ejusdem in maſſam; evidens erat, in conflictu conſervari eandem virium quantitatem, hoc eſt, virium quantitatem eandem eſſe poſt conflictum, quæ erat ante eundem. Admiſſo influxu corporis in mentem phyſico & hujus itidem in iſtud, regula iſta, ex qua tanquam naturæ lege omnes motuum regulæ a priori demonſtrantur, violatur: unde hanc ordinis naturæ turbationem adverſus influxum phyſicum urſit *Carteſius*

ieſius atque *Leibnitius*. Neque enim probabile eſt, Deum reciſſe eum naturæ ordinem, qui per animas hominum conſtanter turbetur. Adverſus hoc theorema quidam inſurgunt, qui in conſequentiis nectendis omne præſidium quærunt, quod ſequatur inde fatum mechanicum, Dei & hominum libertate everſa, immo ipſam mundi & humani generis æternitatem. Sed ecce tibi, quomodo conſequentiæ firmitas oſtendatur. Ex veriſſima, inquiunt, hypotheſi, quod quilibet homo habeat libertatem & pro libertate principium motus in ſemet ipſo & in ſua poteſtate, manifeſtum eſt, cum numero hominum etiam pedetentim creviſſe numerum & quantitatem motuum: quandoquidem duo, decem aut centum homines non tot motus edere poſſunt, quam innumeræ hominum myriades una viventes. Quare ſuppoſita eadem motuum quantitate in univerſo ſemper conſervata, ſequitur, hypotheſi iſta ſalva non poſſe non generi humano ipſique mundo æternitatem tribui. Priorem conſequentiæ partem de negata libertate & ſtabilito fato cuilibet eſſe evidentiſſimam. Quid ad hæc reſpondent Mathematici? Ne ſutor ultra crepidam! Et hac reſponſione eſſe poſſumus abunde contenti. Nemo Mathematicorum hodie docet eandem motus quantitatem conſtanter conſervari, contrarium demonſtrarunt, quotquot de motu corporum ex percuſſione poſt *Hugenium* & *Wrennium* ſcripſerunt. Non motus, ſed virium quantitatis identitas ante & poſt conflictum urgetur adverſus influxum phyſicum, quatenus ut naturæ lex ſpectatur, in qua naturæ ordo fundatur. Illa igitur objectio non ferit ſcopum. Qui eam urgent, ſatis hoc ipſo probant, quod de rebus, quas non intelligunt, non modo iudicare, verum prorſus cum aliis diſputare audeant. Atque hinc adparet, quantum ipſorum objectionibus ſit tribuendum. Quodſi unus tantum homo exiſtat, cujus anima phyſice influit in motum corporis, eadem virium quantitas non conſervatur in univerſo. Non igitur de eo contro-

troverſia eſt, num virium diverſitas in natura corporea ex influxu phyſico mentis in corpus ſequatur, hanc enim adverſus eundem urgent, qui cum *Leibnitio* & *Carteſio* ei adverſantur: ſed quæritur, num probabile ſit, Deum naturæ ordinem, juxta quem phænomena rerum materialium conſequantur, legibus ſuperſtruxiſſe, quæ ab animabus hominum in phænomenis rerum materialium conſtanter violentur. Quicunque igitur contra eos, qui cum *Leibnitio* & *Carteſio* in hoc argumento ſentiunt, diſputare decrevit, ut rationes minimum probabiles adferat opus eſt, quibus ſuadeat, Dei ſapientiæ non repugnare, quod eum fecerit naturæ ordinem, qui ab anima humana conſtanter turbetur. Qui ex influxu phyſico tanquam conceſſo argumentatur, is principium petit: ejus enim gratia inſtituitur omnis hæc diſputatio. Nec ſufficit dicere, quod influxus iſte experientia nitatur: contrarium enim oſtendimus ex ipſa experientiæ notione, nec quæ a nobis allata eſt ratio multitudine aliter ſentientium evertitur. Licet enim *Carteſiani* & alii, qui cum iisdem hac in parte faciunt, inter eruditos & reliquos prudentes ne milleſimam quidem partem conſtituere dicantur, cuilibet tamen obvium eſt, ad refellendas rationes non ſufficere pluralitatem votorum juxta vulgatum illud: *Multitudo errantium non parit errori patrocinium.*

FINIS.